9.7.240

Digitized by Google

ANONYMI DILVCIDATIONES VBERIORES ARDVÆ DOCTRINÆ DE ORIGINE ANIMÆ ET MALO HÆREDITARIO.

QVAM
LEIBNITIVS
IN
THEODICÆA PRIMVM TRADIDIT.

HOLMIÆ,
SVMPTIBVS AVCTORIS.
MDCCXXXVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

Vt mens illuſtris Leibnitii de Animæ origine, quam §. 8. c. 6. explicavimus, eo diſtinctius perſpiciatur, ipſa dabo Leibnitii Verba, §. 396. Theodicææ:

Ich habe oben (Part. I. §. 86. ſq.) gezeigt, daß die Seelen natürlicher Weiſe weder gebohren, noch eine aus der andern genommen werden können, und daß die unſere, entweder geſchaffen worden, oder præexiſtirt haben müſſe, ja ich habe ein gewiſſes Mittel zwiſchen einer Schöpffung, und zwiſchen einer gäntzlichen præexiſtens gezeiget, indem ich befunden, daß man gar wohl ſagen könne, die Seele, die vom Anfange aller Dinge in dem Saamen præexiſtirt, die ſey

nur eine Anima ſenſitiva geweſen, aber zu dem höchſten Grade der Vernunfft erſtlich damahls gelanget, als der Menſch, dem dieſe Seele zugehören ſollen, entfangen worden, und als der organiſirte Leib, der dieſe Seele vom Anfange an, unter vielen Veränderungen begleiten ſollen, ſey determinirt worden, den menſchlichen Cörper zu formiren. Ich habe geurtheilet, man könne auch dieſe Erhöhung der Animæ ſenſitivæ, die ſie zu einem höhern weſentlichen Grade, nemlich zu der Vernunfft gebracht, der auſſerordentlichen Würckung GOttes zuſchreiben. Inzwiſchen befinde ich vor gut, noch dieſes zu erinnern, daß ich in der Zeugung des Menſchen, wie in Zeugung anderer beſeelten Creaturen, lieber das Wunderwerck weglaſſen wolte, und dieſes könte ſo erkläret werden, daß man ſich vorſtelle, daß unter der groſſen Zahl der Seelen und der beſeelten Geſchöpffe, oder wenigſtens der organiſirten lebendigen Cörper, die in dem Saamen ſtecken, allein diejenigen Seelen, die einſt zur menſchlichen Natur werden ſolten, die Ver-

nunfft in ſich verborgen habe, die einſt an den Tag kommen ſoll, und daß allein die organiſchen Cörper, præformirt und prædiſponirt ſind, die menſchliche Geſtalt einſt anzunehmen, indem die andern kleinen Thiere, oder lebendige Saamen, in denen doch dergleichen vorher nichts beſtimmet iſt, dem Weſen nach von jenen unterſchieden, und viel geringer ſind. Dieſe Hervorbringung iſt eine Art einer traduction, die aber weit bequemer iſt, als man gemeiniglich lehret, ſie leitet nicht eine Seele aus der andern, ſondern bloß ein beſeeltes aus dem andern, und vermeidet die vielen Wunderwercke einer neuen Schöpffung, die eine gantz reine und neue Seele in den Cörper, der ſie corrumpiren ſoll, hinein bringen würde.

PROLEGOMENA.

§. 1.

P*Ropagatio animalium & in ſpecie hominis*, eſt ille actus, quo animalia, & in ſpecie homo, ſpeciem ſuam multiplicant.

§. 2.

Quia propagatio animalium & in ſpecie hominis, non fit uti in plantis, ſed per utriusque ſecus conjunctionem, qui hinc particularibus membris ad ſobolis procreationem eſt inſtructus, agendum erit:

Cap. 1. de genitalibus maris.
Cap. 2. de genitalibus fœminæ.

Conceptio autem oritur ex coitu, & conceptionem ſequitur fœtus formatio & nutritio, hinc

Cap. 3. de coitu.
Cap. 4. de conceptione.
Cap. 5. de fœtus formatione atque augmentatione agetur.

Dum autem naſcitur animal, non corpus ſolum, ſed etiam animam gerit, quo circa

Cap. 6. origo animæ demonſtrabitur.

Ad perfectionem deductus fœtus in lucem editur, hinc

Cap. 7. de partu agendum eſt.

Sed quia dantur interdum fœtus ab ordinario deflectentes,

Cap.

Cap. 8. de partibus extraordinariis agemus.

§. 3.

Uſus harum doctrinarum eſt maximus, isque.

1.) Univerſalis, ut, (quia finis primarius matrimonii eſt, ſobolis procreatio) modum illius legitimum perſpectum reddamus.

2.) Particularis a) Theologorum α) in interpretatione S. S. locorum variorum, de generatione agentium, β) ut cognoſcatur poſſibilitas peccati originalis, γ) ut & quid de Baptiſmo monſtrorum ſtatuendum ſit. b) JCtorum, in virginitate & in potentia conjugali dignoſcenda, quod uſum præſtat in cauſis divortiorum & matrimoniorum prohibendorum, ut & in tempore partus legitime cognoſcendo. c) Medicorum, ut cognito ſtatu naturali, facilius poſſint medicamina adhibere. d) Philoſophorum, ut cognitionem philoſophicam, hujus maxime arduæ doctrinæ adquiramus.

§. 4.

Ita autem eſt hæc doctrina pertractanda, ut illam non ad libidinem & petulantiam, ſed ad varios hoſce uſus ordine debito adhibere, & inde ſimul ſummam ſapientiam, bonitatem,

CAPVT I.

DE GENITALIBVS MARIS.

§. I.

G*Enitalia maris* ſunt partes corporis generationi deſtinatæ. Dividuntur autem in 1.) *interna*, quæ intra abdominis cavitatem latent 2.) *externa*, quæ ſunt extra illam, & hæc ſunt vel inmittenda vaginæ, vel non inmittenda. Nempe, cum :men a ſanguine debet ſecerni, usque ad :mpus coitus adſervari, & utero inmitti, Adınt genitalia a) ſanguinem deferentia, b) ſeıen ſecernentia, c) conſervantia, d) ejaculntia.

§. 2.

Vas ſanguiferum ſanguinem ad cor ferens, icitur *vena*, a corde ad membra externa illum rens, dicitur *arteria*, ex arteria autem magna, :oceedunt duæ arteriæ ſpermaticæ dictæ, quaım una dextrum, altera ad ſiniſtrum teſticum ſanguinem devehit. In truncum venæ ca-

væ procedit vena dextra ſpermatica, in venam emulgentem, quæ venæ cavæ ramus eſt, ſiniſtra vena ſpermatica, quæ ſanguinem ſuperfluum revehunt ad venam cavam. Sunt autem venæ & arteriæ ſpermaticæ in principio diſtinctæ, in progreſſu junguntur, & communi tunica involvuntur, & per infinitas anaſtomoſes copulantur, quod dicitur corpus Pampiniforme ſeu pyramidale.

§. 3.

Quia ex ſanguine ſecernitur ſemen, & hinc non omnis eſt ad venam cavam revehendus, venæ ſpermaticæ minores ſunt arteriis. Inpuberum teſticulis non præparatur ſemen, licet in his vaſibus etiam vehatur ſanguis, quia forſan ideo, quod meatus teſticulorum propter exilitatem adhuc clauſi ſint, ſanguis omnis revehatur.

§. 4.

Teſticuli ſunt glandulæ ſubſtantia filamentoſa alba molli conſtantes, ita ut non ſint, niſi congeries minutiſſimorum vaſculorum contortorum, quæ, ſi abſque ruptione diſſoluta, ſibi invicem annecterentur, facile 20. ulnarum longitudinem excederent, uti primus demonſtravit Rechnerus de Graff, de organis virorum. Et figuram teſticuli extricati exhibet Lœwenhœck in anatomia rerum P. I. p. 25. ubi teſticulum Gliris ex innumeris filis compoſitum delineatum ſiſtit, in hos ex arteriis ſeminalibus defertur ſanguis (§. 2.)

§. 5. Sunt

§. 5.

Sunt autem teſticuli humani magnitudine æquales ovo exiguo gallinaceo, vel columbino, ovales, numero plerumque duo, unde didymi ſunt dicti. Qui unum tantum habent teſticulum, ſive alter defuerit a nativitate, ſive excifus ſit, dicuntur *Monorchides*, qui tres habent *Triorchides*, qui quatuor *Tetrorchides*. Qui autem ſcroto vacuo teſtes vel in inguine vel abdomine latentes gerit, *Cryſorchis* dicitur. Vid. celeb. Teichmeyeri med. legal. p.126. Item Venette von Erzeugung des Menſchen, p.8. Sunt autem teſticuli plerumque bini, ut, ſi alter forte læſatur, per alterum ſemen ſecerni poſſit.

§. 6.

Ne filamentoſa teſticulorum ſubſtantia ſolvatur, variis involuta eſt tunicis, hæ ſunt 1) propriæ cuilibet teſticulo, quæ ſunt 1.) albuginea ſeu nervoſa tunica, quæ teſtium ſubſtantiam continet, & a nonnullis dividitur in cardinoſam, vaſculoſam & nervoſam, quarum *cardinoſa* extima & valida, *nervoſa* ſubtiliſſima eſt, quæ duæ in medio continent *vaſculoſam* ex infinitis ſerpentinis vaſorum ſpermaticorum proceſſibus compoſitum, ex qua varii rami ad teſtes tendunt. Confer. celeb. Teichmeyeri Antrop. p. 31. 2.) Vaginalis ſ. Erytroides, quæ eſt expanſio & continuatio proceſſus peritonæi in utroque latere, vaſa ſpermatica omnia & teſtium ſubſtantiam involvens & continens. Huic extrinſecus adnaſcitur *muſculus cremaſter* ſ. ſuſpenſorius, ortum trahens a ligamentis oſſis ilei. Hic muſcu-

muſculus ſuper teſticulum expanſus, illum quadantenus invertit, ideoque a nonnullis pro tunica habetur ſpeciali, quam rubram vocant. Hic autem muſculus teſticulum ſuum quisque in ſuſpenſo ſervat, ne nimis detrahat vaſa ſeminalia, cum adducit in congreſſu verſus veſiculas ſeminales, & ſemen ſecretum, leviter premendo teſtes promovet ad vaſa & veſiculas ſeminales. β) Communia utrique teſticulo, 1) δάρτος ex panniculo carnoſo, in burſulæ figuram extenſo conſtans: hujus beneficio ſcrotum in ſanis promte contrahitur & corrrugatur, præſertim ſi frigore adficiatur, licet ad corrugationem etiam aliquid conferat muſculus cremaſter. 2) *Scrotum* inſtar burſæ propendens eſt corrugatum, ne inturgeſcentia penis, cutis deficiat.

§. 7.

Scrotum dividitur in partem dextram & ſiniſtram, ab extra per lineam intermediam, quæ dicitur *ſutura*, ab intra per ſeptum intermedium, unde flatus ab uno latere inmiſſus ad alterum non transmittitur. Eſt autem ſeptum hoc ejusdem ſubſtantiæ cum membrana carnoſa ſcroti, cujus eſt productio, & diviſibile in varios lamellos, ſeparatu non difficiles. Vtrinque ei firmiter annectuntur teſticuli, mediante tunica vaginali, & expanſione muſculi cremaſtris. Vſus ejus ergo eſt, ut ſuſtentet teſtes, & impediat, ne, aut ſe invicem impingant, aut collidantur, aut vitium unius cum altero communicetur. Scrotum autem fovet & tuetur teſticulos.

§. 8. Id,

§. 8.

Id, quod antequam in teſticulum veniret, ſanguis erat, poſt exitum *ſemen* eſt, unde patet, in teſticulis fieri elaborationem ſeminis, dum ſanguis in arteriis ſpermaticis jam quodammodo depuratus, per ſubtiliſſimos tubulos filamentoſos premitur. Modum autem & rationem ſecretionis ſeminis, alii in figura tubulorum, alii in motu diverſo ſanguinis, pendente diverſa cavitate tubulorum & fermentatione, alii e. g. Connor in Evangelio Med. & Leibnitius in eo quærunt, quod fluida homogenea, & hinc ejusdem figuræ & texturæ particularum, facile conjungantur.

§. 9.

Quia in teſticulis ſecernitur ſemen, (§. 8.) per ſemen autem fit generatio, ſequitur, 1.) Monorchides etiam ad generandum eſſe aptos. (§. 5.) quoniam in teſticulo ſuperſtite ſemen poteſt ſecerni, quantum opus. 2.) Triorchiles, Tetrorchidesque, (§. 5.) ordinarie nimia ſeminis copia laborare debere, licet, ſi impedimentum obſtet, poſſit contrarium eſſe. 3.) Crypſorchides etiam ad generandum eſſe aptos, (§. 5.) quia in teſtibus, licet reconditis, ſemen tamen poteſt ſecerni, quod etiam experientiæ conforme. Vid. Teichmeyeri Med. Leg. cap. 15. Qv. 8. ſeqq.

§. 10.

Qui debitis teſticulis caret, dicitur *Eunuchus*, i. in ſenſu phyſico, & qui alium teſticulis privat, dicitur eum *caſtrare*. Sunt autem eunuchi

chi 1.) a natura, qui ſine teſtibus naſcuntur, & creſcentibus annis in eodem ſtatu permanent. 2.) caſu, e. g. per morſum animalium vel jacturam globorum ex tormentis bellicis. 3.) Ex inſtituto ſeu per artem. Tales eunuchi fiebant a) per contuſionem, dum puerorum in aquam calidam collocatorum teſticulos ferulis vel digitis contundebant & comprimebant, quo facto teſticulorum vaſa rumpebant. b) Per exciſionem teſticulorum. c) Per amputationem, ubi propter majorem ſecuritatem, ne concumberent cum uxoribus heroum, tota virilitas reſecabatur. Vid. Busbequius in Epiſt. 3. Per ſpadones autem intelliguntur, vel 1.) eunuchi per artem in genere, quia Semiramis in urbe Perſiæ Spada, eos primum præparare curavit, vel 2.) ſi a σπάω derivatur, quorum nervi, qui membra genitalia vel horum muſculos commovere debent, a quacunque cauſa vel morbo concuſſi ſunt. Vel 3.) Monorchides. LL. ſi ſerv. §. ſqq. de jure dotium. 4.) Qui frigidioris conſtitutionis ſunt, vel tali morbo inpliciti, ut generatio impediatur. Conf. Teichmeyeri Med. Leg. Cap. 15. Qv. 6.

§. 11.

Quia in teſticulis ſemen, per quod generatio fit, ſecernitur (§. 8.) ſequitur, 1.) Eunuchos a natura tales (§. 10. no. 1.) qui tamen cum crypſorchidibus confundendi non ſunt, ad generandum, plane inpotentes eſſe. 2.) Caſu in utroque teſticulo tales, ſi in veſiculis ſeminalibus nullum ſemen ſuperſit, pariter ineptos eſſe

ſſe ad generandum. 3.) Thlibios, ſi forte quædam viæ integræ remanſerint, ad generandum adhuc aptos eſſe poſſe, ſi minus, non. 4.) Per excisionem. Si in veſiculis ſeminalibus nullum ſuperſit ſemen, generare non poſſe. 5.) Eunuchus per amputationem non ſolum ad generandum, ſed & ad ipſum coitus actum ineptos eſſe. 6.) De ſpadonibus autem pro diverſa acceptione vocis eſſe judicandum. (§. 10.) Conf. Teichmeyeri Med. Leg. Cap. 15. Qv. 7.

§. 12.

Teſticuli inmediate cohærent cum *Epididymidibus ſ. proſtatis*, quæ ex ductu ſeminali tortuoſe inflexo, qui ſecundum Rechnerum de Graff, originem ſumit a vaſculis ſeminalibus teſtium, aut 7. in unum coaleſcentibus, & 5. ulnarum longitudinem facile excedit, conſtituuntur, & per propaginem tunicæ albugineæ involvuntur. Hunc autem uſum præſtant, ut ſemen in tortuoſis illis ductibus, ulterius elaboretur, & purificetur materia ſeroſa in vaſa lymphatica admiſſa. Conf. Verheyen. anatom. Tr. 2. c. 22. Cur autem teſtes extra abdomen propendant, varias rationes reddunt. 1.) Vt nimius temperetur ſtimulus. 2.) Vt via arteriarum ſeminalium ſit longior, adeoque in illis melius ſanguis poſſit purificari. 3.) Vt teſticuli majus ſpatium habeant ad ſeminis elaborationem.

§. 13.

Cum epididymidibus conjunguntur vaſa ſemen deferentia, quæ ad anteriorem partem veſicæ urinariæ procedunt, ibique quaſi in ca-

pſulam

pſulam dilatantur, ac rurſus coarctuntur, ſemen autem ex epididymidibus & teſticulis deferunt in veſiculas ſeminales.

§. 14.

Veſiculæ ſeminales ſunt capſulæ membraneæ, ſitæ lateraliter a parte poſteriori veſicæ urinariæ, circa hujus partem inferiorem ejusque collo alliisque partibus firmiter adhærentes. Vſus illarum eſt, ut ſemen ex vaſis deferentibus allatum, recipiant atque conſervent, donec certis temporibus, in urethram demittatur. Canes illis carent, unde in his ſemen ſtatim in urethram ex teſticulis eſt deferendum.

§. 15.

Veſiculæ ſeminales utrinque in parvum ductum deſinunt, qui fere digito infra collum veſicæ in partem urethræ poſteriorem inſeritur. Inter utriusque ductus orificia autem parvum ſeptum adeſt, ne ſemen ex uno latere erumpens in oſculum alterius lateris impingat. Hoc ſeptum dicitur *Caput galli gallinacei*, per cujus duos oculos ſemen inſilit in urethram.

§. 16.

Vtrique oſculo veſicularum ſeminalium præponitur exigua caruncula inſtar valvulæ, impediens, ne ſemen in urethram ſemper emanet, quæ, ſi veſiculæ ſeminales, a ſpiritibus animalibus in fibras earum influentibus conſtringuntur, adeoque ſemen per fortiorem impulſum exitum intentet, verſus ſuperiora reflectitur, & ſemine emiſſo paulatim priſtinum ſitum recuperat. Conf. Verheyen. in anatom. Tr. 2. Cap. 25.

§. 17. In-

§. 17.

Infrà collum veſicæ inmediate ſita ſunt ſuo corpora globoſa, ſuperius lata, inferius figuram ovalem habentia, quæ dicuntur *proſtatæ*. Magnitudo utriusque nuci juglandi æqualis eſt, ſubſtantia eorum eſt glandulosa, i. e. exiguorum vaſculorum & membranorum congeries, ductus habent excretorios, ſeſe in urethram tam ſupra quam infra caput galli gallinacei (§. 15.) exonerantes. De Graff obſervavit in homine 10, in cane 90. quarum ſingulis oſculis ſingulæ adjacent carunculæ, & ex illis ductibus, compreſſa proſtatarum ſubſtantia, exſilit humor albicans, *liquor proſtatarum* dictus, quem aſtrati in coitu emittunt.

§. 18.

Quia autem hic humor, multo eſt aquoſior quam ſemen, uſus ejus & ſimul proſtatarum inde colligitur, ſc. ut ſemen ex veſiculis ſeminalibus proveniens diluat, & hinc exitum ejus promoveat.

§. 19.

Penis eſt pars oblonga genitalium anterius ſuper ſcrotum poſita, per quam lotium & ſemen emittuntur. In homine, qua ſubſtantiam ſuam, præter cuticulam, cutem & panniculum carnoſum, conſtat 1.) Duobus corporibus nervoſis vel potius ſpongioſis, quæ ab inferiori parte oſſis pubis ad ejus extremum excurrunt, exterius membranam craſſam habent, in principio notabiliter disjuncta ſunt, ſed in progreſſu ad ſe inviçem accedunt, & quaſi Y formant,

ex innumeris membranulis & fibulis, mirum autem in modum intricatis contexuntur, unde flatu vel humore injecto, ambo ſtatim expanduntur. Hæc in ſtimulo venereo copioſo ſanguine inplentur, unde penis oritur inturgeſcentia.

2) *Urethra* i. e. ille meatus, per quem mares urinam deponunt, ut & mediantibus oculis capitis galli gallinacei, ſemen (§. 15.), ut per alios ductus excretorios liquorem proſtatarum tempore coitus (§. 17.) In urethra adhuc varias cellulas ſ. foraminula obſervant Anatomici recentiores. Verheyen in Anat. Tr. 2. cap. 24.

3.) *Glande*, quæ eſt pars penis extrema, & componitur ex duobus dictis corporibus nervoſis (n. 1.) in unum coaleſcentibus & urethra. Involucra ejus ſunt admodum tenera, unde & propter copiam papillularum nervearum ſedes titillationis in illa deprehenditur. Rubicunda autem adparet, quia propter teneritudinem membranulæ vaſcula ſanguinea transponent. Glans autem dicitur *caput penis*, & pars penis tenuior, ubi glans ei adponitur, *collum* ejus.

4.) *Præputio*, quod eſt involucrum glandis (n. 3.) mobile, ita, ut glans eo denudari poſſit.

5.) *Freno*, quod eſt tenue vinculum, quo præputium, parti glandis inferiori adhæret, ne nimis retrahi poſſit præputium.

6.) Præter venas, arterias & nervos, duobus muſculorum paribus, primum originem ſumit ab oſſe coxendicis, infra principium corporum

porum nervoſorum, in quorum membranam exteriorem muſculi illi terminantur, hi dicuntur *penis erectores*, quia ad penis erectionem faciunt. Secundum ab ani ſphinctere enaſcitur, & ſub urethra glandem verſus excurrit, & circa medium penis ad latera urethræ deſinere putatur. Urethram dilatare creduntur pro faciliori ſeminis emiſſione. Equidem hos uſus in dubium vocavit de Graff, ſed defendit Verheyen in anat. Tr. 2. cap. 24.

7.) Ligamento membranaceo, orto ex commiſſura oſſium pubis, atque in dorſum penis protenſo, figuram habent triangularem, quod a parte ſuperiori ſuſpenſum tenet penem.

§. 20.

Cui præputium ex parte abſciſſum eſt, ille dicitur *Circumciſus*, eſt actus, quo præputium abſcinditur, *Circumciſio*, quæ apud populos Orientis haud infrequens eſt, quia præputium ad inſtar caudæ ſolet excreſcere, ut impediatur generatio, conf. Hardt in Tr. de circumciſione. Bartholini in anatom. Lib. 1. cap. 24. Hoc ergo reſpectu circumciſio generationem ſobolis promovet, qui eſt 1) ejus uſus. 2) cum in ipſa glande ſedes titillationis virilis ſit (§. 19. 3.) præſciſſo a tenerrima infantia præputio, glandis detecta extremitas, alias tenuis valde & ſenſibilis, durior & hinc ſenſibilior redditur, unde ſequitur ope circumciſionis nimium libidinis ſtimulum temperari, ita, ut coitus ex copia ſeminis potius, quam libidine exerceatur, id quod facit ad ſanitatem, & ſobolis procrea-

tionem promovendam. vid. Chryſoſtomi Hom. in Geneſ. 39. porro 3.) Per circumciſionem tollitur nimia præputii coarctatio, ſive connata, ſive adquiſita. conf. Wedelii Diſſ. de Phimoſi. Jenæ 1705, 4.) Quia humor inter glandem & præputium contentus, nimio ſudore auctus, facile tumorem & inflammationem contrahit, circumciſio tales morbos impedit, 5.) Dum in coitu circum inpura (e. g. ex menſibus, vel puerperio, vel morbo venereo) facile ſordes contagioſæ inter glandem & præputium concipiuntur, quæ ibi, quia glans præputio tegitur deliteſcentes, poroſque patulos penetrantes, variorum morborum cauſa eſſe poſſunt; patet ita etiam circumciſionem ad ſanitatem facere. Quia ergo uſus rei eſt finis Dei, vid. Wolff. Met. §. 1031. Deus circumciſionis auctor apud Judæos, præter ſpirituales, ad hos etiam uſus reſpexit. conf. Stengel in Diſſ. Deus Iſraelit. Medicus Altorff. 1719.

§. 21.

Qui arte defectum præputii redintegravit, dicitur: *Recutitus* 1. Cor. VII, 18. 1. Macc. I, 16. Duobus autem modis inſtituebatur recutitio. 1.) ut per inciſionem circa radicem penis, unde oriebatur notabilis & lata cicatrix, cutis mentulæ elongaretur. 2.) Ita, ut per certum inſtrumentum attractorium abſque inſciſione, fibræ ſucceſſive elongarentur, & ſic defectus præputii reſarciretur. Prior recutitio ex cicatrice, poſterior difficulter, attamen interdum ex

ex cicatrice circumciſionis poterit cognoſci. conf. Teichmeyeri Med. leg. cap. 15. Qv. 5. Wedel in Diſſ de Epiſpaſmo Judæorum in exercitationibus ſacris Decad. 5. Exercit. Schurig in ſpermatologia Cap. 2. §. 7.--15.

§. 22.

Infibulatio olim erat clauſura vel ligatura præputii filo vel fibula metallica facta, & cui præputium ita erat clauſum, *Infibulatus* dicebatur. Hæc operatio, teſte Celſo, olim adhibebatur, ad pueros a coitu coercendos. Modum infibulationis vid. in Schurig ſpermatol. Cap. 2. pag. 549.

§. 23.

Uſus penis non tantum eſt depoſitio urinæ, utpote quæ ſine illo in fœminis habet locum, quam ſeminis in uterum muliebrem. Hinc cum vaginæ uteri longitudo ordinaria ſit ex, ſeptem & octo pollicum transverſorum, eadem etiam adſignatur peni, peripheria autem --4. conf. Venette von der Erzeugung des Menſchen. Part. 1. c. 2. Sect. 1. Albertus M. pag. 93. Sine omni pinguedine eſſe dicitur, ne ſenſus obtundatur & minuatur voluptas. vid. Bartholini Anatom. Lib. 1. cap. 24.

§. 24.

Vitia autem, quæ in pene nonnunquam deprehenduntur, potiora hæc ſunt: 1.) Ejus defectus vel a natura, qualia exempla Schenck in obſerv. Med. Lib. 4. adducit, & Bartholini in Anatom. lib. 1. cap. 24. vel per exſtirpationem, quæ fit vel a Medico, vel in Eunuchiſmo.

ſmo. (§. 2. n. 3. c.) 2.) Ejus ſitus in loco inſolito, v. g. in fronte, facie, loco naſi etc. vid. Teichmeyeri Med. Leg. cap. 15. Qv. 5. p. 115. 3.) Ejus numerus inſolitus, ſi forte duo adſint. vid. Bartholini loc. cit. 4.) Ejus perforatio inſolita, ſi ſcilicet non in extremitate glandis, ſed in media parte urethræ ſit perforatus, ſeu circa ſcrotum. 5.) Ejus magnitudo nimia, vel qua longitudinem, quæ in coitu varias uteri contuſiones & inflammationes poteſt producere, vel qua craſſitatem, quæ anguſtioribus præſertim eſt incommoda. 6.) Ejus nimia brevitas, quæ debitam ſeminis inmiſſionem & hinc generationem impedit. 7.) Phimoſis, ad quam refertur, ſi præputium cohæreat cum glande, vel frenum vel præputium ſit minus magnum, per quod erectio penis impeditur. 8.) Ejus retractio, ſi ille corrugatur, abbreviatur & in abdomen abſconditur. 9.) Ejus defectus erectionis, inpediens generationem. 10.) Ejus curvatura & tortuoſitas, quando redditur falci formis, quod pariter generationi obſtat 11.) Si ganglii in glande adſint. conf. Teichmeyeri Med. Leg. c. 15. Qv. 5.

§. 25.

Inpotentia conjugalis ex parte maris eſt inpotentia generandi. Hinc inpotentia generandi laborant. 1) Eunuchi in utroque teſticulo, Thlibiis in certo caſu exceptis (§. 11. n. 3.) 2.) Infibulati, quatenus tales (§. 22.) 3.) Qui vitiis penis quibusdam laborant e. g. ejus defectu

ſectu, ſitu inſolito, perforatione etc. (§.24.) alia ſubjecta laborant inpotentia conjugali.

§. 26.

In maribus brutorum, pariter genitalia maſculina deprehendimus, licet pro variis illorum ſpeciebus variantia. Sic in pene canis lupi, vulpis, balenæ reperiuntur oſſa, in multis aliis non. Pleraque quadrupeda penem, & teſticulos extra abdomen gerunt, aves & multa inſectorum intra illud. Singulare quid de ranis obſervavit Menzius in Diſſ. de Ranarum generatione Lipſ. 1724. ſc. vaſa eorum ſeminalia non verſus poſteriora tendere, ſed juxta ſpinam dorſi antrorſum procedere, & terminari in pedes anteriores, unde illi tempore coitus instituendi copia ſeminis admodum intumeſcunt.

§. 27.

Semen virile eſt liquor albus, ſpiſſus, ſubviſcidus & ſpirituoſus, a ſanguine arterioſo in teſticulis aliisque vaſis ſpermaticis ſecretus. In coitu permiſcetur liquor proſtatarum. Per microſcopia meliora in eo deteguntur innumera animalcula, quæ primus 1677. obſervavit Loevenhœck, vid. ejus Epiſt. 113. deinde Hartſœcker in tentamine Dioptr. & in conjectures phyſiques L. I. Diſſ. 7. Hugenius in Dioptrica propos. 49. Beorhafen, Wolff. in Phyſica Exper. Tom. 3. §. 99. & alii, vid. Schurig. Spermatologia c. 1. §. 23. p. 27. Animalcula hominum & quadrupedum ſunt oblonga & cauda longiori inſtructa inſtar ranarum naſcentium. Maguitudo eſt adeo exigua, ut plus,

quam 100000. exſtant in ſpatio, arenæ craſſioris granulum adæquante. Per quatuor dies viva eadem obſeravit in tubulo vitreo Lœwenhœck in matrice caniculi poſt quadrantem unius horæ a coitu elapſum, innumera iſtiusmodi animalcula reperit. Extra ſemen autem non vivunt. vid. Wolff. Phyſ. Exper. T. 3. p. 452. & quamvis nonnulli loco animalculorum, nil niſi confuſam particularum commotionem viderint, obſervatores tamen adcuratiores, adhibito microſcopio inperfectiori, idem ſibi accidiſſe, narrant.

CAPVT 2.

DE
GENITALIBVS MULIEBRIBUS.

§. 1.

Genitalia muliebria ſunt partes corporis ad concipiendum & pariendum deſtinatæ. Sunt autem vel Externa vel Interna. *Externa* i. e. quæ ſine diſſectione poſſunt conſpici, quæ *pudenda* dicuntur, & hæc ſunt vel talia, quæ ſola de nutatione in oculos incurrunt, vel talia, quæ denudatione facta demum conſpiciuntur. *Interna*, quæ facta ſectione tantum adparent.

§. 2.

Nudo adſpectu ſtatim in oculos incurrunt 1) *Mons veneris*, qui eſt pars veris inferior, pilis in pubertibus ornata, multaque pinguedine

ſuedine referta, ne nimis mulier a mare coe-
inte conquaſſetur. 2) *Labia*, quæ ſubſtantiam
carnoſam & quodammodo ſpongioſam, & fi-
guram labiis oris fere ſimilem, unde fit, ut in
libidine non ſolum aliquo modo intumeſcere,
ſed etiam in partu extendi & dilatari queant.
3) *Frenulum*, quod eſt pars ligamentoſa, labia
in parte inferiore connectens. Frequentiori ve-
neris uſu, menſium fluxu, & maxime partu,
illud inſigniter laxatur, nunquam ad priſtinum
rediens ſtatum. 4.) *Fiſſura* vel *rima magna*, vel
vulva, vel cannus, quæ in medio montis veneris
labiorum & frenuli continetur, tantamque po-
tiſſimum ad fœtus in partu egreſſum, amplitu-
dinem habet. Per hanc olim per ſpiritus py-
thonicæ locutæ & vaticinatæ ſunt fœmine ven-
triloquæ. Conf. Schurig Muliebria pag. 56.
5.) *Perinæum*, quod eſt ſpatium inter rimam ma-
gnam & anum. Hoc in partu difficiliori ſolet
rumpi. Totus autem locus, quo in prima
adoleſcentia pili erumpunt, dicitur *Pubes*.

§. 3.

Labils deductis ſub adſpectum cadunt 1.)
in parte ſuperiore vulvæ *clitores*, & glandi forme
corpuſculum figura & ſubſtantia paruum pe-
nem referens. Hinc componitur a) Duobus
nervoſis corporibus vel ſpongioſis, quæ utrin-
que originem ducunt ab inferiore parte oſſis
pubis, & paulatim in unum coeunt, licet per
membranam, quæ dicitur *ſeptum clitoridis*, ali-
quatenus maneant diſtincta. b) Glande, quæ
in parte inferiore iſtis corporibus unitis appo-

B 5 nitur,

nitur, ſed non eſt perforata, licet cœco foramine quaſi mentiatur glandem virilem; unde nec urethra adeſt. c) Præputio glandis, quod eſt productio membranoſa illius membranæ, quia intrinſece veſtiuntur pudendi labia. d) Duobus muſculis, qui ab oſſibus coxendicis orti, abeunt in corpora ſpongioſa, quorum officium eſſe videtur, ut erigant clitoridem. Eſt autem clitoris potiſſima ſedes in fœminis. Conf. Verheyen in Anatom. Tr. 2. cap. 31. 2.) Sub clitoride exitus urethræ ſive meatus urinarii, tuberculo quodam in pudendi rimam emergens. Obducitur autem urethra exterius ſubſtantia albicante, partim glanduloſa, partim membranoſa, ex qua procedunt meatus quidam, ex quibus infra exitum urethræ, maxime in coitu ſecernitur humor ſeroſo pituitoſus. Glandulæ, in quibus hic humor ſecernitur, dicuntur *Proſtatæ*. Ipſe autem liquor ad titillationem facit. conf. Schurig. Mulieb. ſ. 2. c. 4. §. 7. p. 159. 3.) *Alæ* ſ. *Nymphæ*, quæ ſunt duo corpora ſpongioſa & rubeſcentia, quæ in principio connectuntur cum clitoride, ad latus autem meatus urinarii, usque ad medium circiter vaginæ orificium deſcendunt, ibique ſenſim attenuata evaneſcunt. Figura autem earum fere talis eſt, qualis dimidiæ partis menſæ ovalis, ſecundum longitudinem paulo oblique diviſæ. Vſus eſt partim, ut impediant, ne urina emittenda nimis lateraliter reſileat, partim ut leni compreſſione penem in actu blande adficiant. Vnde fieri videtur, ut per venerem ſæpe exercitatum

itatum, magis excreſcant, partim ut orifici-
m vaginæ claudatur, ne aer frigidus, pulvis,
el noxium aliud introeat. Conf. Verheyen
.. c. 4.) Carunculæ quatuor myrti formes,
uæ in medio rimæ magnæ, inter duas alas
a ſunt ſitæ, ut quælibet unum angulum occu-
et, & per quadratum ſe reſpiciant. Has
ırunculas alii pro corrugationibus vaginæ ha-
ent; alii, e. g. cel. Heiſter in Anatom. §. 234.
ʀ hyminis laceratione oriri putant, ita, ut
ınc duæ, nunc tres, nunc quatuor obſerven-
ır eo loco, ubi olim erat hymen, & deeſſe
infantibus, licet probabilius ſit, eas per hy-
ıenis dilacerationem tantum notabiliores fieri,
er quod antea fuerunt conſtrictæ. 5.) *Hymen*
t membrana, orificium vaginæ, inter carun-
ılas myrti formes contentum, claudens, quæ
:iguum foramen habet, ad fluxum menſtru-
n emittendum. Vſus autem caruncularum,
t; partim ut claudant vaginam, ne aer frigi-
ıs, pulvis vel aliud noxium introeat; partim
in coitu faciant ad majorem voluptatem,
ım inflantur, & penem conſtringunt; par-
n ut tempore partus melius extendi poſſit
ginæ orificium. Siquidem primis poſt pu-
perium diebus non conſpiciuntur, propter
agnam vaginæ dilacerationem. 6.) Exitus
ginæ, vel orificium uteri externum inter ca-
ncùlas myrti formes conſpicitur.

§. 4.

Quamvis clitoris ordinarie ſit admodum
gua, rarius tamen magnitudinem penis, &
rariſſi-

rariſſime colli anſerini obtinent. Quod clytoridis majoris vitium Aegyptiis & Arabibus eſt endemium, licet apud nos nec exempla deficiant, teſte Schurigio in Mulieb. Sect. 2. cap. I. §. 11. 12. Solet autem plerumque, niſi a nativitate eo laboret fœmina, ex titillatione manus petulcæ infantiæ oriri, ſed non ſine incommodo, quia tales fœminæ, propter continuam clitoridis a veſtibus factam confricationem, & hinc ortam illius turgeſcentiam, ad libidinem nimis proclives ſunt.

§. 5.

Fœmina ope clitoridis majoris turgeſcentis, cum alia coitum exercens dicitur *Confricatrix ſ. ſubigatrix*. Quamvis autem confricatrices in tali congreſſu ex proſtatis muliebribus liquorem emittere poſſint (§. 3. n. 2.) tamen, quis clitoris inperforata eſt (§. 3. n. 1.) nullum inmittere nec emittere ſemen poſſunt. Vnde talis coitus tanquam mere turpiter libidinoſus & ordinationi divinæ contrarius, reprobatus eſt, Rom. I, 26.

§. 6.

Actus, quo clitoris prominentior mulieri reſcinditur, dicitur *circumciſio muliebris*, inproprie talis, quæ in Arabia & Aegypto in puellis ante pubertatem exerceri ſolet, partim ut occaſio confricationis auferatur (§. 5.) partim ne coitus legitimus impediatur, partim, ut nimia libido minuatur, (§. 4.) denique decoris cauſa. Sed poteſt etiam nimia clitoridis magnitudo tolli, ſi filo ſerico vel capillo equino ligetur circa radicem,

tem, & quotidie conſtringatur magis, donec tandem decidat. conf. Schurig in Mulieb. Sect. 2. c. I. §. 31. ſeqq.

§. 7.

Quia clitoris, licet ſolito paulo major, dummodo non enormem habeat magnitudinem, non tollit poſſibilitatem cohabitationis conjugalis, præterea que vitium hoc arte emendari poteſt, (§. 6.) non eſt ratio ſufficiens ad matrimonium diſſolvendum.

§. 8.

Solent etiam nymphæ interdum inſolitam habere magnitudinem, ut extra labia vulvæ propendeant, quale exemplum adfert Lichwiz in Diſſ. de Ortu & propagatione hominum, & plura Schurig in Muliebribus Sect. 2. c. 2. Cui malo pariter per reſectionem ſuperflui ſuccurrere ſolent, id quod proprie νυμφολομία dicitur, & ab Abyſſineis circumciſio muliebris, apud quos hæc quidem lege conſtituta eſt.

§. 9.

Quod ad hymen attinet, de illo quidem a multis in utramque partem diſputari ſolet, ſed apud recentiores Anatomicos, illius exiſtentia extra controverſiam eſt poſita, licet congreſſu etiam non ſuſcepto, interdum abeſſe poſſit. 1) propter formationem partium irregularem ab ipſa nativitate. 2) Ob membranæ hujus exiguitatem, ut ideo nec a marito nec Anatomico ſentiatur. 3) ſi caſu aut inſtrumento libidinoſo destruatur. Conf. Teichmeyer in Med. Leg. C. 4. Q. 3. & 4) Secundum ad Julium Cæſarem Scalige-

ligerum de ſubtilitate Exercit, 170. Sect. I. pag. 541. in Atlantis jugis occidentalibus, radix quædam reperitur, ſuper qua ſi ſedeat Virgo, aut urinam reddat, rumpitur hymen. Rarius autem hymen non ſine ſanitatis jactura firmiſſimum & inperforatum deprehenditur, cui malo per incifionem vel matrimonium ſubveniendum, Conf. Helwigs Caſ. & obſerv. Med.

§. 10.

Mulier, quæ nunquam coitum eſt paſſa, dicitur *Virgo*, Verheyen in Anat. Tr. 2. cap. 32. Virginitatem diſtinguit in materialem & formalem, & hanc dicit abſolutam congreſſus maſculi negationem in muliere; illam naturalem (ut excludatur artificialis defloratorum) coanguſtationem orificii vaginæ, propter quam membrum virile, licet debite proportionatum, non niſi difficulter atque cum dolore intromittatur. Vnde patet, virginitatem eſſe poſſe ſine materiali. (§. 9.)

§. 11.

Quidquid eſt ſignum coitus nondum celebrati, id eſt ſignum virginitatis (§. 10.) Sed quia hymen, utpote orificium vaginæ claudens (§. 3. n. 5.) in primo coitu neceſſario eſt perrumpendum, ejus præſentia eſt ſignum coitus nondum celebrati, adeoque etiam virginitatis. Sed quia hymen deſtrui poteſt ſine coitu (§. 9.) abſentia hymenis non eſt ſignum virginitatis ereptæ formalis, licet ſit materialis, (§. 10.) Pariter, quia in primo coitu hymen eſt perrumpendum, quod non fit ſine dolore & ſanguinis profuſione, qui dicitur *Flos virginitatis* conf. Deut. XXII.

13.

3. ſeq. Aſt abſentia floris virginitatis non ſemper eſt ſignum virginitatis ereptæ formalis, quia hymen per aliam cauſam poteſt eſſe deſtructum § 9.) vel genitalia muliebria natura nimis laxa eſſe poſſunt; quin etiam ſanguis deſtillans non ſemper eſt certum ſignum virginitatis præſentis, quoniam dantur fœmellæ tam arctæ, ut in 2do, 3tio vel 6to etiam coitu ſanguinem profundant. conf. Teichmeyer l. c. aut aſtu ſanguinis profuſionem ſimulant. conf. Venette pag. 96.

§. 12.

Porro quia carunculæ myrti formes, orificium vaginæ claudentes (§. 3. n. 5.) in coitu dilacerandæ ſunt; unde colorem rubicundum perdere ſolent, ſignum tertium virginitatis præſentis caruncularum connexio & rubedo, licet, cum connexio integra manere queat, ſi penis juſto minor ſit, & color ſenſim reſtituatur, hoc ſignum etiam ſit fallax. Nec a caruncularum laxitate & colore mutato, ad virginitatem formalem perditam valet conſequentia; quia vel a fluxu menſtruo vel morbo alio pendere poteſt. Quartum ſignum virginitatis præſentis eſt abſentia perinæi, ejus laxitas, licet hoc etiam ſit ſignum fallax. (§. 2. n. 3.)

§. 13.

Solent autem doloſæ fœmellæ virginitatem perditam ſæpe per artem reſtituere, quodammodo 1) per abſtinentiam a viro, 2) per medicamina adſtringentia, quo utraque genitalia coarctantur. 3) per ſanguinem fictitium conf. Venette P. 2. cap. 22. unde commendat D. Teich-

Teichmeyer in Med. Leg. c. 4. Q. 5. ut genitalia virginis, cujus virginitas examinanda eſt, antequam inſpectioni ventris ſubjiciatur, aqua debite abluantur & deinde oculis & manibus examinantur.

§. 14.

Vſus igitur hymenis eſt, 1) ut vaginam claudat (§. 3. n. 5.) ut 2) de virginitate teſtetur. (§. 11.)

§. 15.

Inter carunculas myrtiformes reperitur una extremitas vaginæ. Hæc autem eſt canalis membranaceus, oblongus, ab utero ad pudenda extenſus, membro virili ſecundum omnes dimenſiones adcommodabilis. Ejus 1. ſubſtantia eſt quaſi nervea, & hinc ſenſu exquiſito prædita, ſecundum longitudinem fibris carneis donata, 2) longitudo eſt 6.7.8. digitorum transverſorum, latitudo indeterminata, 3) ſitus eſt ſuper inteſtinum rectum, cui firmiſſime annectitur, pariter ac ſi unica eſſet tunica. 4) Vſus eſt receptio penis in actu venereo 5) habet autem frequentiſſimas rugas, maxime in parte anteriori, cui urethra incumbit, quæ in frequentiori congreſſu & interdum in partu ita abolentur, ut tota vaginae facies interior levis & æqualis evadat. Faciunt hae rugae ad faciliorem vaginae expanſionem, partim in partu, deinde ad majorem delectationem glandis virilis, dum ille, in æqualitate iſta, blandius fricatur, 6) per totum vaginae ductum adſunt exigui meatus, plures autem circa exitum meatus, urinarii, ex quibus emanat materia ſero pituito-

ſa,

a, ad partes genitales humectandas, quæ in actu & affectu venereo copioſius extra pudenda profluit.

§. 16.

Mulier ob clauſuram vaginæ inepta ad penem debite recipiendum, dicitur *Atreta*, & hoc genitalium vitium ἀτρεσία. Solet autem hæc vaginæ clauſura dependere vel a coalitu labiorum, vel nympharum, vel carunculararum myrti formium, vel parietum vaginæ, vel a tunica in medio vaginæ, vel extremitate eius circa orificium uteri internum ſita; & eſt vel *totalis*, ſi nulla plane apertura adſit, vel *partialis*, ſi minor adſit ad menſtruum emittendum, ortumque trahit ab ipſa nativitate, vel a caſu accidentali, interdum ab ipſo partu. conf. Schurig de congreſſu mulieb. Sect. 2. c. 2. §. 14. Cum autem in coitu penis in vaginam ſit inmittendus, atreſia totalis, ſi incurabilis deprehendatur, impedit coitum, & hinc eſt ratio ſufficiens ad matrimonium vel prohibendum vel ſolvendum; non partialis, quia illa, teſtibus exemplis, non tollit conceptionem, & ſæpe in ipſo partu fuit emendata. vid. Schurig. L. c. §. 22.

§. 17.

Vterus, qui cum vagina eſt connexus, eſt ſubſtantia cava membranacea, ſita inter inteſtinum rectum, & veſicam urinariam, naturale fœtus domicilium. Figura ejus in non gravidis, triangularis eſt, ſuperius lata, inferius anguſtior; capacitas ejus in non gravidis & nuper enixis, eſt valde exigua, & vix fabam capiet; in gravidis vero pro magnitudine fœtus extenditur.

Triplici conſtat tunica 1) Extima, quæ reliquam ejus ſubſtantiam inveſtit. 2) Media, quæ fibris validis contexta eſt, & hinc ad fœtus aliorumque in utero contentorum excluſionem multum facit. 3) Intima ſive nervoſa, quæ potiſſimum ſenſationi inſervit.

§. 18.

Dividitur *uterus* in *fundum*, qui eſt pars ejus ſuperior & latior, & *collum*, quod eſt pars ejus inferior & anguſtior, & annectitur inferius vaginæ, poſterius inteſtino recto, anterius veſicæ. Verſus vaginam autem habet rimam transverſam, adeo arctam ut in virginibus vix tenuem admittat ſtylum. Præterea uterus habet ligamenta quatuor, quorum duo lata, duo rotunda dicuntur & membranacea ſunt, & uterum utrinque æqualiter tenſum ſuſtentunt. Vſus autem uteri eſt, 1) ut recipiat ſemen, 2) ut ſit domicilium fœtus formandi & nutriendi, 3) ut per eum ſanguis menſtruus emittatur.

§. 19.

Cum utero cohærent duæ *tubæ* ab inventore Fallopio, fallopianæ dictæ, cum utero connexæ, admodum graciles, ſenſim vero dilatatæ, & in extremitate in varias partes, figuram floris referentes, fiſſæ, longitudo eſt 6. vel 7. digitorum transverſorum.

§. 20.

Juxta uteri latera ad diſtantiam fere duorum digitorum, in non gravidis duo poſita ſunt corpora fere globoſa, utrinque magnum veſicularum numerum continentia, quæ dicuntur

ovaria

ovaria muliebria, annectuntur utero per validum ligamentum, quod *vas deferens* dicitur, & aliquatenus per tubas fallopianas, & latum uteri ligamentum. Hæcce corpora paulo minora ſunt teſtibus virilibus. In flore ætatis conſtitutis, majora, in vetulis minora & ſucco quaſi exhauſta, cinguntur que exterius membrana a peritonæo producta.

§. 21.

Veſiculæ in ovario contentæ, limpido humore ſunt plenæ, qui per coctionem, uti in ovis volucrium indureſcit, & eundem, uti illorum albumen, colorem, ſaporem & conſiſtentiam adquirit, propter quam ſimilitudinem illæ veſiculæ dicuntur *ova*, licet quædam etiam veſiculæ ſpuriæ interdum in ovario muliebri reperiuntur, quæ coctione non indureſcant. In uno ovario ſæpe 20. vel plura ova numerantur, non autem omnia ejusdem ſunt magnitudinis, ſed maxima piſi magnitudinem adæquant. Singula vero ſinui cuidam conſident, ad quem tenuiſſimæ venæ & arteriæ terminantur, quarum hæ materiam pro nutritione ovorum afferunt; illæ ſuperfluum revehunt. In ſingulis vero animantium generibus talia dari ovula, experimentis comprobat Rechn. de Graff. de Organis mul.

§. 22.

Equidem Mart. Nabod Med. P. Lipſ. in Diſſ. de Sterilitate mulierum, §. 11. Ovarium muliebre in collo uteri vult conſtituere, ſed erant ova ibi reperta ſubventanea, vid. de hac con-

troverſia Ruyſchii & Mülleri Epiſt. mutuas, quibus hoc contentum eſt præſcriptum: De quæſtione: an mulieres etiam ova ponant? conf. Venette von der Erzeugung, ꝛc.

§. 23.

Denique ex arteria magna verſus dexterum latus una, verſus ſiniſtrum altera oritur arteria, quarum quælibet in duos ramos rurſus dividitur. Vnus horum in utroque latere per varias ramificationes progreditur in ovarium & tubas fallopianas, alter in uterum. His in utroque latere connexæ ſunt duæ venæ, ſanguinem ſuperfluum in venam cavam in latere dextro, & in emulgentem in ſiniſtro revehentes. Pariter ex ramis venæ cavæ & arteriæ magnæ, majoribus alii minores in vaginam ſe protendunt arteriæ & venæ. conf. Venette l. c. p. 378.

§. 24.

Dum mulieres laſcivæ in actu venereo liquorem emittere (§. 3. & 15. n. 6.) & ſubigatrices ipſæ nefandum licet coitum cum aliis fœminis exercere ſolent (§. 5.) multi fœminis ſemen tribuunt. Vid. Sperling. de form. hom. p. 40. Aſt, quia hic humor non ſecernitur in teſticulis, utpote proprie non habet fœmina, nec ad fœtum proprie impenditur (§. cit.) proprie ſemen dici nequit. (cap. I. §. 27.) Si vero liquorem ovulorum ſemen muliebre vocare velis, denominatio eſt arbitraria.

§. 25.

Per pudenda ſolent mulieres ſanguinem menſtruum ſingulis menſibus deponere, cujus

ratio

:atio eſt hæc : In puellis nondum 13. vel 14. an-
ıos natis, ſanguis ad augmentationem membro-
um eſt adhibendus, adeoque non poteſt in ni-
nia copia ad uterum accedere, ſed quantum ac-
:edit per arterias, tantum per venas commode
ooteſt revehi ad venam cavam. E contrario in
ouberibus, cum non tanta copia ſanguinis ad
ugmentationem & conſervationem corporis
equiratur, ſanguis majori copia ad uterum ruit,
x cujus arteriis cito ſatis in venas progredi-
ur, ſed in his lentius aſcendit, quia propria
ravitate tendit deorſum. Hinc in principio ob
najorem venarum numerum, circa uterum de-
rehenſum, nulla inſignis mutatio ſuccedit;
ed dum ſucceſſive ſemper plus ſanguinis elabo-
atur & adducitur, venæ ſufficienti cavitate ad
apiendum omnem ſanguinem adductum non
unt præditæ, hinc magis magisque expandun-
ur (uti tempore inſtantis menſtrui, uterus tur-
ere ſolet,) quam diu patitur fibrarum elaſti-
itas. Dum non patitur ulterius, & ſanguis ta-
nen propter adductum continuo novum per
rterias retro cedere nequit, ſanguis dirumpit
ninutiſſimos tubulos, per quos ſanguis ex ar-
eriis in venas ruit, & hinc deſtillat, donec ſu-
erfluum, quod venas diſtentabat, exceſſerit;
uo facto, oſcula aperta, fibras nerveas iterum
ontrahuntur, donec eadem ſanguinis copia ſit
roducta. Quod ſi igitur e. g. una libra ſangui-
is ſufficiens ſit ad tubulos illos diſrumpendos,
 tantum ſanguinis ſuperflui intra menſis ſpati-
m generetur, ſingulis menſibus menſtruum

debet profluere. conf. Schmid. in Diſſ. de Menſtrui fluxu. §. 16. & §. 26.

Ceterum genitalia maſculina in ſequentibus inter ſe conveniunt. 1) In pilis a natura productis. Nam in maſculis anno ætatis 14. in fœmellis 12. natura genitalia obtegere ſolet crinibus, ex glandulis ſubtiliſſimis natis, quorum finis eſt, ſine dubio triplex. α) ut ſint ſignum pubertatis; i. e. aptitudinis ad ſobolis propagationem. β) ut tegant genitalia, tam pudoris cauſa, quam a frigore. γ) ut in actu venereo membris maris & fœminis interjacendo, læſionem ex frictione orituram impediant. conf. Schurig Mulieb. Sect. 2. c. 3. 2) In ſitu. Nempe centrum gravitatis corporis humani datur in pudendis. Sed ubi centrum gravitatis eſt in corpore, ibi vel premit tota gravitate ſua, vel eædem preſſioni reſiſtit. Cum igitur per prius, ex parte maris, per poſterius autem ex parte fœminæ coitus reddatur facilior; Deus ſapienter in utroque ſexu, genitalia in ipſum gravitatis centrum in corpore poſuit. conf. Wolffs Anfangs-Grün. de der Mechanique. §. 49.

CAPVT 3.
DE
CONGRESSV MVLIEBRI.

§. I.

Congreſſus muliebris ſeu coitus eſt inmiſſio vel receptio penis in vaginam, ſeminis inmitten-

tendi vel recipiendi cauſa. Quicunque igitur mas inhabilis eſt ad penem inmittendum, ille etiam phyſice inhabilis eſt ad coitum. Et quæcunque fœmina inhabilis eſt ad penem recipiendum, illa pariter inhabilis eſt ad coitum. Et pariter, quia generatio fit per coitum; quicunque vel quæcunque inhabilis eſt ad coitum, eſt etiam vel ad generandum vel concipiendum.

§. 2.

Semen ſanguine præparatur (cap. I. §. 8.) ſed in maſculo nondum 13. vel 14. annos nato, ſanguis adhuc adhibendus eſt ad augmentationem corporis, adeoque non poteſt ad ſemen elaborandum adhiberi. Cum igitur in illis nondum adſit ſemen, nec per experientiam erectio membri virilis, phyſice illi inhabiles ſunt ad coitum, & hinc ad generandum. (§. 1.) Pariter fœmella, nondum 12. annos nata, eſt adhuc nimis arcta & caret præterea fluxu menſtruo, ad fœtum nutriendum neceſſario; unde etiam inhabilis eſt ad coitum & hinc etiam ad concipiendum. At quamvis majores natu phyſice ad coeundum ſunt habiles, non tamen ſtatim eſt conſultum.

§. 3.

Maſculis poſt annum 60. vel 65. non amplius accidere ſolet erectio, propter defectum virium vitalium. Ergo tunc inepti ſunt ad coitum, & hinc ad generandum (§. 1.) Fœminæ autem, licet ſemper aptæ maneant ad coitum, non tamen manent ad concipiendum, quia ceſſante

ſanguine menſtruo anno 45–50. deficit nutrimentum fœtus.

§. 4.

Coitus omittendus potius quam ſuſcipiendus cum fœmina 1) Menſtruo laborante. Nam verendum, ne propter acrimoniam ſanguinis menſtrui, inflammatio genitalium virilium oriatur. conf. Stahl in Diſſ. de Menſibus muliebrib. §. 8. 2) Gravida, tum, ne ex compreſſione corporis muliebris, fœtus capiat detrimentum, quam ne ſuperfœdatio oriatur, fœtui jam concepto damnum minans. conf. Schurig in Sperm. p.344. 3) lacte infantem nutriente, quia & in principio geſtationis propter vomitus & faſtidia fœminæ, lac eſſe ſanum probabilitate caret, & in progreſſu, ſi & fœtus & infans nutriendus, aut unus aut uterque non poteſt habere ſufficiens nutrimentum, aut mater ipſa erit debilitanda.

§. 5.

In maſculis concumbentibus glandis confricatio & emiſſio ſeminis titillationem excitat (cap. 1.) in fœminis clitoris, alæ, carunculæ myrti formes & nervi in vaginæ, dum a membro virili confricantur excitant titillationem & tam liquor proſtatarum emiſſus, quam ſemen utero inmiſſum exquiſitum ſenſum excitant (cap. 2.) Hinc mulieres propter majorem membrorum titillantium copiam, majorem voluptatem percipere creduntur; id quod ſapienter a Deo eſt conſtitutum, ut per voluptatis ſenſum, repræſentatio dolorum ſufferendorum ſupprimatur. conf. Schurig de Congreſſu mulieb. p. 96. ſeq. Venette von der Erzeugung ꝛc. p. 225.

§. 6.

§. 6.

Quisquis ex coitu majorem ſentit voluptatem, ille ſine dubio eum vehementius adpetit. Ergo fœminæ eum vehementius adpetunt (§. 5.) Adpetitus ad coitum dicitur *ſtimulus*. Ergo fœmina majores experitur ſtimulos quam mas. Nempe per laborem continuum, non ſolum ſpiritus vitales diſſipantur, ſed etiam phantaſia à formandis ſibi imaginationibus voluptuoſis, ad coitum ſtimulantibus retrahitur. Vnde viri minus ſolent eſſe ſtimulis expoſiti, quam fœminæ.

§. 7.

Accidit interdum, ut in primo coitu νεόγαμοι ſibi invicem per tempus, quale quid in canibus ſemper obſervatur, involuntarie cohæreant, maxime ſi Zibeto glans ſit inuncta & irritata, cujus cohæſionis cauſa, non tam eſt intruſio glandis in uterum, utpote quæ non poteſt fieri, quam tumor glandulorum in vagina, ut & glandis inmodicus, eximio æſtu ortus, & conſtrictio orificii vaginæ. Tollitur autem cohæſio, vel ſi ſenſim detumeſcat glans, vel per aquam frigidam. conf. Schurig pag. 109. ſeq. de congreſſ. mulieb. & in ſpermatol. pag. 314.

§. 8.

Teſte experientia ſingulæ brutorum ſpecies, ſtato anni tempore coitum exercent. Feles in januario, piſces, volucres, inſectæ vere, equi junio, cervi auctumno, cujus hæc ratio videtur eſſe, quod pro natura corporis ſui hoc potiſſimum tempore vel per ſeminis copiam, vel per certum fluidum, ſtimulentur. Et ita opus erat,

ne per nimiam libidinem emacerarentur. conf. Schurig in ſpermat. p. 225. & Held de Hagelsheim de Tempore partus. Aſt homo, qui per rationem ſanam ſtimulos compeſcere debet, ſemper ad actum venereum promptus eſt, licet tempus vernale & auctumnale convenientiſſimum ſit ad ſobolis propagationem, utpote quo neq æſtu nimio, uti in æſtate, corpus debilitatum ſit, nec frigore genitalia contracta. vid. Venette l. c. part. 2. c. 2. p. 164. Et pariter tempus matutinum, quo vires per ſomnum reſtitutæ ſunt, & calor naturalis auctus eſt, veneri maxime favet. conf. Venette. P. 2. c. 6. p. 223.

§. 9.

Poſituram coitus natura quodlibet animalium genus docet, unde alia alio modo, quodlibet autem tali, qui ſtructuræ corporum ipſorum eſt conveniens, eum exercere cernimus. conf. Schurig in Spermat. 226. & Menzius in Diſſ. de Ranarum generat. Quod ad hominem attinet, patet, quod, cum coitus fiat ad ſemen inmittendum & recipiendum (§. 1.) ut propagatio ſobolis inde oriatur, ea poſitura rationi ſit convenientiſſima, quæ ad hanc finem eſt aptiſſima. Vnde quid de coitu averſo in obeſis ſtatuendum ſit, colligi poteſt. conf. Schurig in Spermatolog. C. 5. §. 7.-13. Venette l. c. P. 2. pag. 228.

§. 10.

Dum per coitum inmoderatum & nimium plus ſeminis expellitur, quam natura per vires ordinarias generare poteſt, & hinc non modo ſpiritus vitales nimis diſſipantur, ſed etiam effici-

efficitur, ut ſanguis, in copia novo ſemper ſemine elaborando, deſtinandus, ſufficientem fluidi nervei copiam reſtituere nequeat, neceſſe eſt, varia mala, ex defectu fluidi nervei ortum trahentia, inde oriri, tremorem membrorum ſcilicet, caliginem oculorum, amentiam, cerebrum exſiccatum, nervorum imbecillitatem, apoplexiam, palpitationem cordis, epilepſiam, memoriæ defectum, canitiem, febrim acutam, mortem; & propter corporis cum anima harmoniam, animam etiam effectus illos malos ſentire. conf. Schurig in Spermat. c. 5. §. 25. p. 258. Hinc, licet, teſte, Venette l. c. P. 2. c. 7. maritus plus ſimplici vice in una nocte debitum conjugale præſtari poſſit uxori, nimia tamen illa libido, tanquam peſtis ſanitatis, omni cura eſt fugienda.

§. II.

E contrario quamvis utilitas coitus moderati primaria ſit ſobolis procreatio, non deſunt ſecundariæ ex parte ſanitatis. Nam, dum in coitu ſemen a mare expellitur (§. 1.) quæcunque mala a retentione ſeminis & fluidorum in corpore oriri poſſunt, in illis vel præſervative, vel curative prodeſt coitus moderatus. Sic in Melancholia, in tumore teſticulorum, in odontalgia, in ſcorbuto, in gonorrhea maritus prodeſſe coitum moderatum patet; fœminis in nimio menſium fluxu, in retentione menſium, fluore albo, in χαχεξία virginea, paſſione hyſterica, furore uterino. conf. Schurig in Spermat. c. 5. §. 50. ſeq. & de Congreſſ. mulieb.

lieb. ſect. 2. c. 1. §. 34. cum quo conſentit Wedel in Diæta litter. c. 3. parad. 6.

§. 12.

Media ſtimulum ſupprimentia ſunt frigus, modicus uſus ciborum nutrientium, continuus labor, jejunia, vigiliæ, fuga commercii cum mulieribus formoſis, abſtinentia a contemplatione ſtatuarum nudarum & imaginum libidinoſarum, a lectione librorum venereorum, ab adſpectu coitus brutorum. Alia vid. in Venette l. c. p. 196. ſeq. E contrario ſtimulum excitant omnes cibi & potus valde nutrientes, & alia quæ modo dictis ſunt oppoſita. conf. Venette p. 207. ſeq.

§. 13.

Coitus cum virgine vel vidua honeſta commiſſus dicitur *ſtuprum*, idque *violentum*, ſi fit invita & reluctante fœmina. Quamvis autem dentur, qui poſſibilitatem ſtupri violenti a mare ſine auxilio aliorum committendi, negant, neutiquam id impoſſibile videtur eſſe, præcipue ſi mas viribus corporis fœminam ſuperet. Vnde Deus capitis pœnam Deut. XXII,25.27. huic delicto impoſuerat; quod etiam in Conſtitutione criminali Caroli V. Art. 119. factum. Quin etiam fieri poteſt, ut ſi fœmina alto ſomno, ſive naturali ſive arte producto ſepulta, vel valde ebria ſit, cum ipſa non conſciente mas coitum exerceat, eamque inprægnet, cujus rei exempla dedit Schurig de congreſſ. mulieb. ſect. 2. c. 6. p. 301.

§. 14.

§. 14.

Cornua erant olim ſigna fertilitatis, uberitatis & roboris. Deinde mos invaluit, ut uxores, alios præter maritum admittentes, huic cornua inponere dicerentur. *Cornutos* autem Pagenſtecher in Diſſ. de Cornibus & Cornutis, dividit in 1.) *Legales*, i. e. qui lege jubente tales eſſe coguntur, ut olim in Scotia & hodie in India. 2.) *Voluntarios*, quales Tartari in provincia Calmul eſſe dicuntur. 3.) *Involuntarios*, quorum ubique magna deprehenditur copia conf. Geneſ. XXXV, 22. 2. Sam. XI, 4. XVI, 22. Solet autem hæc mulierum laſcivia oriri a mariti inpotentia vel ſenectute, vel abſentia diuturna, vel ſævitia in uxorem, vel morbo, vel ab ipſarum fœminarum laſcivia vel denudatione. conf. Schurig de Congreſſ. &c. Sect. I. c. I. §. 25.

CAPVT 4.
DE
CONCEPTIONE.

§. 1.

IN coitu recte inſtituto, & ſi penis debitum longitudinem habet, ſemen in vaginam non ſolum, ſed in ipſum uterum inmitti dubium quidem olim fuit Harvæo in Exerc. 67. de Generatione animalium, ſed evidenter id docet. 1.) Experientia, Verheyen, qui in vaccæ utero poſt

poſt coitum, magnam ſeminis copiam deprehendit. vid. ejus Anatom. Tr. 2. 2.) Lœwenhœck, qui in utero caniculi poſt coitum diſſecti, magnam animalculorum ſpermaticorum copiam invenit, quæ non potuiſſent adeſſe, niſi ſemen ipſum fuiſſet in uterum inmiſſum. vid. (cap. 1. §. 27.) 3.) Ruyſch, qui dum uterum fœminæ ſtatim a ſtupratore necatæ diſſecuit, magnam in eo ſeminis virilis partem, usque in tubos fallopianos profluentem perſpexit. vid. Thümmigs Verſuche Num. 37. §. 2. 3. ſeq.

§. 2.

Vt autem cognoſcamus, quid ſemen virile in utero præſtet ad ſobolis procreationem, ad obſervationes probe eſt attendendum.

1.) Harvæus, in utero cervæ, a cervis antea compreſſæ ovulum, ſed paulo majus ovulis ovarii deprehendebat.

2.) Nuckius, canis fœminæ a mare compreſſæ, ventrem ſecabat, & in ovario duo ova reliquis majora deprehendens, partem illam ovarii ligabat & vulnus ſanabat, poſt 20. dies canem ſecabat, & ibi duos caniculos inveniebat. vid. Wolff. von den Wirckungen der Natur. §. 442.

3.) In ovulo etiamnum cum ovario cohærente, fœtum tres lineas longum, unamque lineam cum dimidia craſſum, & interveniente tenuiſſima chorda membranis viſculæ adnexum obſervavit Litre, vid. Act. Erud. Lipſ. 1706. p. 265.

4.) Biſ-

4.) Biſſieur, ovum in tuba fallopiana re-
erit. vid. ſupplem. Act. Erud. Tom. 3. Sect. I.
. 451.

5.) Pariter ovulum fœcundatum in mulie-
is ovario vidit Ruyſch in Anat. p. 230.

6.) Litre ſecuit fœminam gravidam, quæ
uater pepererat, & in ovario ejus ſiniſtro,
es, in dextro duas cicatrices invenit, ubi ſci-
cet ova hæſerant.

7.) Idem refert de fœmina, quæ neſcive-
t ſe eſſe gravidam, ſed poſt aliquod tempus
grotans, per alvum oſſa infantis depoſuit, &
teſtinum rectum, teſte medico viſitationem
ſtituente, exulceratum geſſit ita, ut Medicus
er illud & podicem plura oſſa & carnem in-
ntis extraxit. conf. Memoires de l' Acad.
oyal des ſciences pag. 280.

8.) Regnerus de Graff. Ruyſch & Gœ-
ke Exercit. Frankofurt. Exercit. I. §. 16. p. 29.
enique varia exempla fœtuum in tubis fallo-
ianis repertorum collegit Schurig in Sperma-
l. c. 4. §. 7. p. 170. ſeq.

§. 3.

Quæ obſervationes, ſi probe inter ſe con-
rantur, docent evidenter 1.) Hominem &
iadrupedia pariter ac aves, inſecta & piſces
: ovulis muliebribus generari. 2.) Ovulum
item impregnatum ex ovario per tubam fal-
pianam in uterum transire. Nam alias, di-
ctæ obſervationes §. 2. ita ſe habere non
otuiſſent.

§. 4.

§. 4.

Cum Deus utrique ſexui peculiaria genitalia dederit ad ſobolis procreationem, natura autem ad eundem effectum obtinendum media eadem adhibere ſoleat, nec detur exemplum evidens propagationis ſine coitu; veritati conveniens non videtur, quod ulla conceptio ſine coitu fiat. Nec obſtat.

1.) Quod inſecta ex putredine generari videantur. Nam *a*) Inſecta poſt coitum ovula ſolent excludere; tam diu durantia, donec adſit occaſio commoda excluſionis fœtus, exemplo ranarum conf. Helwigs Caſus & obſ. Medic. p. 52. *b*) Dum inſecta varias patiuntur mutationes, exemplo bombycum, fieri poteſt, ut in multis rebus animalcula, ob exiguitatem inſenſibilia reperiantur, ex quibus per transmutationem oriuntur majora ſenſibilia. conf. Lœwenhœck in Arcan. nat. detectis. Ep. 71. *c*) Nec conceptibile eſt, quomodo ex motu confuſo particularum putreſcentium, corpus organicum regularem ſtructuram ſuam habens, oriri poſſit, conf. Andry de la Generation des venes dans les corps de l' homme.

2.) Quod Blancart recenſeat, araneos ſine coitu generari. Dudum enim experientia docuit contrarium. conf. Thümmigs Verſuche Num. XIV. §. 3.

3.) Quod in Luſitania equi vento concipere dicantur a Plinio in hiſtor. nat. lib. 8. c. 42. & Virgilius lib. 3. Georg. quod de vulturibus

tiam narrat Ælianus L. 2. c. 46. de Animalibus. Hoc enim pro fabula potius habendum eſt.

4.) Apes, teſte Virgilio lib. 4. Georg. ſine coitu ſexum propagent. Nam Lœwenhœck, regem apum pro fœmella habet, ceteras dicit eſſe mares, cum ea coeuntes. vid. Act. Erud. Lipſ. Ann. 1719. Menſ. Jan. p. 14.

§. 5.

Dum generatio ſobolis fit ex ovulo (§. 3.) nec tamen ſine ſemine virili (§. 4.) evidens eſt, fœminam ad conceptionem ovulum, marem autem ſemen conferre, ſed quomodo ex his duobus fiat conceptio, ulterius eſt inquirendum.

§. 6.

Ex materia informi & inorganica, quale eſt ſemen in ſe, & liquor in ovulo, quomodo naturaliter corpus organicum artificioſiſſimum ſemper ſibi ſimile (differentia ſexus excepta) poſſit oriri, conceptibile non eſt. Accedit argumentum aliud: Tempore Theodoſii Imperatoris natum eſt monſtrum, ab umbilico usque ad cervicem bicorporeum, inclinationibus plane contrariis pollens. vid. Auguſtinus de Civit. Dei Lib. 16. c. 8. Inclinationes naturales magna ex parte ex ſtatu matris tempore graviditatis dependere, experientia docet, & infra oſtendetur. Aſt cum hic embryonis idem fuerit ſtatus in matre, & tamen inclinationes diverſæ, ex eadem autem cauſa effectus diverſi nequeant oriri, neceſſe eſt, ut jam aliquid adfuerit præexiſtentis organici, ex quo fœtus formatus, quod, quin propter uniformitatem opera-

 tionum

tionum naturæ, in reliquis eodem modo ſe habeat, dubium non eſt, conf. Thymig in den Verſuchen Num. 5. §. 7. p. 43.

§. 7.

Cum ergo in conceptione aliquid organici debeat adeſſe & præexiſtere, ex quo formetur fœtus, (§. 6.) fallit (1.) veterum ſententia, qui ex ſola commixtione ſeminis maſculini in uterum projecti, & fœminini ex ovario in uterum fluentis, (quod nec fieri poteſt,) fœtum oriri ſibi perſuadebant.

2.) Eorum, qui ex ſemine, utero tanquam typo infuſo, & ad figuram ejus ſolideſcente, fœtum oriri docent, quod eam ob cauſam etiam admitti nequit, quia fœtus, qua partes externas internasque, figuram uteri non habet.

3.) Chymicorum, qui vel ex fermentatione ſeminis virilis, quod pro acido habent, & muliebris, quod alcali dicunt eſſe, vel ex coagulatione ſeminis & liquoris in ovulo dicunt oriri fœtum, ad quos pertinet Connor in Evang. Medici.

§. 8.

Dum in conceptione aliquid præexiſtens organicum debet adeſſe (§. 6.) illud aut in maris ſemine, aut in ovulo matris ſit, neceſſe eſt. (§. 5.) In ſemine maris deprehenduntur animalcula ſpermatica minutiſſima, (§. 17. c. 1.) quæ ſine dubio habent ad ſimilitudinem aliorum animalium, corpuſcula organica in ovulo fœminæ, phyſicorum plurimi & ipſe Lœwenhœck nihil, niſi liquorem albicantem invenit, uti

uti ſupra Cap. 2. §. 21. monuimus, licet Ruyſchius aliquando humori ovuli ſubtilem innatantem fibrillam, & huic connexum corpuſculum, quod pro ſtamine fœtus habet, per humorem cryſtallinum transparens vidiſſe narretur a Liſchwitzio in Diſſ. de ortu & propagatione hominum, §. 45.

§. 9.

Hinc duæ oriuntur de generatione theoriæ recentiores.

1.) Vulgaris Medicorum, quæ ex ſtaminibus in ovulo præexiſtentibus fœtum generari aſſerit, quod ita defenſores ſibi concipiunt, ut aura virilis ſeminis per tubam fallopianam ad ovum adſcendat, ibique in motu ſuo in corculum exiguum ſtaminis penetret, muſculos exiguos inflet, ipſamque adeo circulationem & vitam inchoet, quæ dein per liquorem ovuli a ſtamine adſumtum, nutrimenti loco continuetur. conf. Berger de Nat. humana L. 2. c. 1. Verheyen in ſupplemento Anat. Tr. 5. c. 5. Hoffmann in med. ration. ſyſtem. T. 1. c. 12. §. 13.

2.) De animalculis ſpermaticis, ſecundum quam ita concipiunt conceptionem, ut animalculum quoddam ſpermaticum cum aura ſeminali in tuba fallop. adſcendat ad ovulum, & illud, ſive, uti vult Andri de la generation des venes &c. per ſalvulam forte ibi, ubi adnatum eſt, ovario exiſtentem, ſive per poros ovuli ceſtro venereo tum dilatatos, uti vult Boerhaſen, intret, ubi retineatur, ſuſtenteтur, nutriatur, donec umbilico ſuo ovulo adhæreſcat reli-

 quis

tionum naturæ, in reliquis eodem modo ſe habeat, dubium non eſt, conf. Thymig in den Verſuchen Num. 5. §. 7. p. 43.

§. 7.

Cum ergo in conceptione aliquid organici debeat adeſſe & præexiſtere, ex quo formetur fœtus, (§. 6.) fallit (1.) veterum ſententia, qui ex ſola commixtione ſeminis maſculini in uterum projecti, & fœminini ex ovario in uterum fluentis, (quod nec fieri poteſt,) fœtum oriri ſibi perſuadebant.

2.) Eorum, qui ex ſemine, utero tanquam typo infuſo, & ad figuram ejus ſolideſcente, fœtum oriri docent, quod eam ob cauſam etiam admitti nequit, quia fœtus, qua partes externas internasque, figuram uteri non habet.

3.) Chymicorum, qui vel ex fermentatione ſeminis virilis, quod pro acido habent, & muliebris, quod alcali dicunt eſſe, vel ex coagulatione ſeminis & liquoris in ovulo dicunt oriri fœtum, ad quos pertinet Connor in Evang. Medici.

§. 8.

Dum in conceptione aliquid præexiſtens organicum debet adeſſe (§. 6.) illud aut in maris ſemine, aut in ovulo matris ſit, neceſſe eſt. (§. 5.) In ſemine maris deprehenduntur animalcula ſpermatica minutiſſima, (§. 17. c. 1.) quæ ſine dubio habent ad ſimilitudinem aliorum animalium, corpuſcula organica in ovulo fœminæ, phyſicorum plurimi & ipſe Lœwenhœck nihil, niſi liquorem albicantem invenit,

uti

uti ſupra Cap. 2. §. 21. monuimus, licet Ruyſchius aliquando humori ovuli ſubtilem innatantem fibrillam, & huic connexum corpuſculum, quod pro ſtamine fœtus habet, per humorem cryſtallinum transparens vidiſſe narretur a Liſchwitzio in Diſſ. de ortu & propagatione hominum, §. 45.

§. 9.

Hinc duæ oriuntur de generatione theoriæ recentiores.

1.) Vulgaris Medicorum, quæ ex ſtaminibus in ovulo præexiſtentibus fœtum generari aſſerit, quod ita defenſores ſibi concipiunt, ut aura virilis ſeminis per tubam fallopianam ad ovum adſcendat, ibique in motu ſuo in corculum exiguum ſtaminis penetret, muſculos exiguos inflet, ipſamque adeo circulationem & vitam inchoet, quæ dein per liquorem ovuli a ſtamine adſumtum, nutrimenti loco continuetur. conf. Berger de Nat. humana L. 2. c. 1. Verheyen in ſupplemento Anat. Tr. 5. c. 5. Hoffmann in med. ration. ſyſtem. T. 1. c. 12. §. 13.

2.) De animalculis ſpermaticis, ſecundum quam ita concipiunt conceptionem, ut animalculum quoddam ſpermaticum cum aura ſeminali in tuba fallop. adſcendat ad ovulum, & illud, ſive, uti vult Andri de la generation des venes &c. per falvulam forte ibi, ubi adnatum eſt, ovario exiſtentem, ſive per poros ovuli ceſtro venereo tum dilatatos, uti vult Boerhaſen, intret, ubi retineatur, ſuſtentetur, nutriatur, donec umbilico ſuo ovulo adhæreſcat reli-

quis animalculis, quæ ſedem commodam non invenerunt, pereuntibus.

§. 10.

Anno 1672. fœmina peperit filiolam, quæ poſt 8. dies aliam filiolam minorem, quæ digiti medii longitudinem non excedat, rurſus parientem, Anno 896. virgo ſtuprata peperit filiolam gravidam. conf. Helbigs caſus & oſerv. Medic. p. 59. Suppoſita theoria vulgari non poteſt ratio hujus phænomeni dari. Etſi enim in Embryone novum ovulum & ſemen adfuiſſe dicas, non adeſt tamen ſemen, quod illud commoviſſet. Nam ſemen mariti non poteſt hunc effectum præſtare, quia alias ſæpiſſime idem phænomenon deberet contingere, quod non fit. Sed ſuppoſita theoria animalculorum, ratio eſt facilis inventu. Si enim animalcula ſpermatica ad ſimilitudinem reliquorum animantium ſexu differunt & generant inter ſe, fieri potuit, ut animalculum, fœmina gravida, per ſemen utero & tubæ ingeſtum, intraverit ovulum, & dum ibi transformatur, ſimul etiam in hoc contentum minus ſit transformatum. Merito ergo hæc theoria priori præferenda videtur, quia theoria obſervationibus conformis eſſe debet.

§. 11.

Fœtum ex tali animalculo generari, patet etiam ex obſervationibus Malpighii, qui in cicatricula ovi gallinacei fœcundati, talem delineationem vidit, qualem Lœwenhœck in ſe-

mine gallinaceo obſervavit. vid. Wolff. in Phyſ. §. 444.

§. 12.

Obj. 1.) Cur ergo non ſæpius animalculum gravidum intret ovulum, ut fœtus gravidus naſcatur? Paucitas earum, quæ gravida ſunt, id non permittit, dum ſi pars dimidia ſexus ſequioris ſupponatur, facile patet, pauca eſſe poſſe gravida, maxime ſi ad parvitatem corporum ipſorum, cui tempus graviditatis proportionatum ſolet eſſe, attendatur. 2.) Si ex animalculo generatur fœtus, non illud fit ex ovulo? Reſp. Hæc ſibi invicem non contradicunt (§. 9.) 3.) Si fœtus ex tali animalculo ſpermatico generatur, cui bono aut ſunt tam innumera, aut cur non plures fœtus ſimul generantur? Reſp. α) Via eſt perdifficilis, dum animalculum per tubam ad ovarium uſque in ovulum debet penetrare. Hinc tam multa adſunt, ut unum vel item alterum ſaltem in locum debitum perveniat, pariter ac in ſeminibus arborum. β) Cur ſi homo generatur ex ſtamine in ovulo per auram ſeminalem commoto, non plures ſimul generantur, nam aura ſine dubio ad plura ovula pertingit. Dicis: Ideo, quia non omnia ova ſunt matura. Reſp. idem in noſtra theoria poteſt habere locum, reliqua autem animalcula ſine dubio moriuntur. (4.) Nulla inter corpus animalculi & humanum eſt ſimilitudo, nam caudatum dicitur eſſe, ſed homines caudati non ſunt. Reſp. Eſt ſimilitudo reſpectu longitudinis, & poteſt fie-

ri, ut cauda animalculi bis ſecetur & conſtituat pedes hominum, & uti fieri ſolet in transformationibus, aliæ partes deponantur, aliæ excreſcant intra antea latentes. (5.) Quomodo ſine partium ſuarum diſtorſione vel dislocatione penetrare poteſt tubam & membranam ovuli? Reſp. Hoc quia corpuſculum ejus minimum eſt, inpoſſibile non videtur eſſe. conf. §. 9. (6) Si in ſolo ſemine eſt fœtus rudimentum, fruſtra ſterilitatis culpa in fœminam rejicitur. Reſp. Ex alio reſpectu fœmina ſterilis poteſt eſſe, ſi animalculum propter mucum in locum debitum penetrare nequeat. (7.) Cur animalculum ex una parte ingreſſum in ovulum non rurſus ex altera egreditur? Reſp. Ex mente Andrii id impedit valvula, ex mente Boerhaſii coalitus porulorum, ceſſante ceſtro veneri contingens (§. 9.) (8.) Quid ſeparat ovulum inprægnatum ab ovario? Reſp. Propria ipſius gravitas, uti in hypotheſi de ſtaminibus.

§. 13.

Nunc demum quomodo fiat conceptio poteſt intelligi.

1.) Semen infunditur utero & tubæ, & cum illo animalcula.

2) Dum id per lenem uteri calorem in ſubtilem vaporem ſolvitur, animalculum adſcendit per tubam Fallop. ad ovarium in ovulum, in quod propter ſubtilitalem ſuam facile poteſt penetrare, alia enim non datur via.

3.) Hoc facto animalculum transformari & augmen-

augmentari incipit, unde ipſum ovulum etiam fit majus.

4.) Majus factum, per proprium pondus ab ovario ſolvitur, & cadit in tubam incurvatam, quod demonſtrat Verheyen in ſuppl. Anat Tr. 5. Cap. 4. p. 317. & C. 6. p. 323.

5.) Creſcendo paullatim propellitur uſque in uterum, quod fit poſt aliquot dies.

6.) In utero in principio liberum jacens, paulatim per ſubtiles fibrillas eidem adnectitur. Conceptio ergo incipit in ovulo, perficitur in utero.

§. 14.

Poſtquam ovulum utero eſt adnexum, ſanguis menſtruus in corpore fœminæ abundans, per ſubtilia connexionis vaſa ex utero in ovulum tranſit, ubi ad augmentationem fœtus adhibetur. Ceſſat ergo ulterius effluere, ſed quia non omnis ſtatim ad hunc uſum neceſſarius eſt ſanguis, interdum fœmina, quæ jam concepit, adhuc, licet minori copia, laborat menſtruo. Aſt nimius ſanguis, qui in corpore matris remanet, partim varias mutationes e. g. vomitus, tædia a cibis, appetitus inſolitos, ventris turgeſcentiam ſolet excitare, partim poſt aliquot menſes intrare mammas, & lac producere. vid. plura in Alberti diſſ. de termino animat. fœtus, Cap. 4. §. 3. p. 70.

§. 15.

Ex his ſigna conceptionis factæ, licet ſeorſim ſumta, ſæpe fallacia poſſunt colligi, quæ ſunt

1.) Si fœmina poſt coitum ſemen non rurſus emittat (§. 13. n. 1.) Sed quia ad conceptionem amplius quid requiritur (§. 13.) hoc ſignum non eſt certum.

2.) Si fœmina in coitu æſtu flagrat venereo, in hoc enim vaſa fœminæ interna melius aperiri credibile eſt, ut ſemen & animalculum melius in locum debitum penetrare poſſit (§. 13.) ſed interdum fœminæ ſine tali æſtu concipiunt, interdum tamen non concipiunt propter impedimentum e. g. mucum in tubis.

3.) Si fœmina vomitus, tædia a cibis, vel adpetitus inſolitos experiatur (§. 14.) ſed hæc phænomena poſſunt ex aliis cauſis dependere.

4.) Si pulſus Arteriarum propter majorem ſanguinis copiam (§. 14.) ſit vehementior, ſed hoc a febre poteſt oriri.

5.) Si menſtruum ceſſet, & hinc venter turgeſcat. Sed menſtruum poteſt ab aliis cauſis obſtructum eſſe.

6.) Si mammæ indureſcant & concipiant lac, (§. 14.) ſed in virginibus etiam poteſt adeſſe lac.

7.) Si manus monti veneris & ventri impoſita, ſentiat motum internum embryonis. Sed motus talis poteſt ex flatibus dependere. Quando vero omnia hæc ſigna vel plurima concurrunt, de facta conceptione maxima eſt probabilitas.

§. 16.

Fœmina quæ concepit, dicitur *Gravida* ſive *prægnans*, qui autem illam gravidam reddit, dicitur

citur eam *impregnare.* Imprægnatio gravidæ dicitur *ſuperfœtatio.* Dum fœmina concepit, ovulum imprægnatum vel eſt adhuc in ovario, vel in tuba, vel in utero (§.13). Dum adhuc in ovario eſt, nihil obſtat, quin in ovulum ejusdem ovarii, vel ex altero latere novum animalculum per coitum iteratum poſſit intrare. Dum in tuba hæret, poteſt in coitu iterato animalculum per alteram tubam in ovulum ſe recipere. In his ergo caſibus locum habere poteſt ſuperfœtatio. Dum autem ovulum in utero eſt, & explet cavitatem uteri, tranſitus per tubam clauditur, adeoque tunc non poteſt fieri ſuperfœtatio.

CAPVT 5.

DE FORMATIONE ET AVGMENTATIONE FOETVS.

§. 1.

DVm fœtus oritur ex animalculo ſpermatico præexiſtente organico. (cap. 4.) evidens, eſt, formationem fœtus non eſſe novam formationem inorganici in organicum, ſed potius explicationem tantum partium, in minima forma jam præexiſtentium, & transformationem, quæ fit, dum partim deponuntur partes, partim novæ intra latentes excreſcunt, ad ſimilitudinem papillonum ex erucis trans-

formatarum. conf. Schwammerdam Hiſtoires generales des inſectes. Talem enim transformationem fieri, patet inde, quod animalculum ab homine, vel bruto figura differat, (cap. 1. 27.) quod autem explicatio fiat partium præexiſtentium, inde eſt evidens, quod, niſi illa fieret, partes non redderentur ſenſibiliores. Idem a poſteriori confirmat obſervatio Malpighii, ova incubata quotidie infrangentis, & ſemper plures pulli partes & explicatiores cernentis. conf. Ejusdem Tr. de formatione pulli in ovo Tom. 2. oper.

§. 2.

Inutilis igitur eſt quæſtio: Quæ pars fœtus prior altera formetur? Nam omnes jam præexiſtunt (§. 1.) Attamen veritati non alienum videtur eſſe, partes corpori maxime neceſſarias, priores cæteris explicari. e. g. cor, quo pertinent, quæ de puncto ſalienti tradunt Harvæus de Generat. Exercit. 17. Malpighius de Generatione pulli in ovo. §. 5. ſqq.

§. 3.

Ex exemplo erucarum in papiliones transformandarum conſtat, animalia in transformatione in ſtatu intermedio inter vitam & mortem verſari. Nam, quia ſine omni commotione membrorum jacent, vita corporis autem ex motu cognoſcitur, non poſſunt pro vivis haberi. Attamen nec pro mortuis, quia alias corpora ipſorum deberent putrefieri, quod non fit, ſi novum prodit animal. Cum igitur animal ſpermaticum in ovulo etiam in homi-

nem transformatur (§. 1.) mirum non eſt, quod illud in principio conceptionis usque ad geſtationis medium, ſine omni motu jaceat, donec facta ſit transformatio & membrorum explicatio; quemadmodum ſi etiam adeſt motus, is tamen non poſſet propter tenuitatem membrorum ſentiri.

§. 4.

Per obſervationes anatomicas, fœtus humanus in utero involvitur duabus tunicis

1.) Amnio, quæ alba, mollis, translucens, & paucis venulis & arteriolis donata eſt, fœtum inmediate cingens. In hujus cavitate continetur *liquor amnii*, in quo natat fœtus, tam, ne in partes aliquas vicinas duriores impingat, quam, ut in partu rupta membrana, humor exiens viam lubricam & facilem reddat.

2.) Chorio, quæ priorem inmediate cingit, ibi præcipue, ubi cohæret placenta uteri. *Placenta uteri* autem dicitur rotunda & ſubrubra maſſa carnea, alteri tantum, plerumque ſuperiori & anteriori parte uteri connexa, nec totum fœtum cingens, innumeris venulis & arteriolis & utrorumque anaſtomoſibus intertexta, per quam ſanguis maternus ducitur in fœtum, mediante funiculo umbilicali. In brutis adeſt tertia tunica *Alantoides*, inſtar cinguli vel farciminis, urinam ab uracho recipiens. In homine hac non adeſt, ſed urina per penem vel vulvam emiſſa, liquori amnii permiſcitur.

§. 5.

Cum placenta uteri cohæret *funiculus umbilicalis*,

calis, ſanguinem deferens in fœtum per umbilicum, & *duæ arteriæ umbilicales* ſanguinem ex fœtu revehentes in matrem, id quod facile patet ex colligatione. His intra fœtum connexus eſt urachus, qui in brutis ſe protendit in tunicam alantoidem, & in illam ducit urinam ex veſica; ſed in hominibus ille extra umbilicum non procedit, nec perforatus eſt. Hæc corpora communi tunica involvuntur, & conſtituunt conjunctim funiculum umbilicalem 1½ ulnæ longum, per quem fœtus eſt pars corporis materni. Dicitur autem arteria vel vena reſpectu infantis, non matris. (§. 1. cap. 1.)

§. 6.

Nempe ſanguis per venam umbilicalem, ſtatim defertur in fœtus hepar, & inde per venam cavam in ventriculum cordis dextrum. Ex hoc (1.) per anaſtomoſin ſive foramen, quod in pariete, utrumque ventriculum dividente, reperitur, inmediate tranſit in ventriculum ſiniſtrum, & hinc in arteriam magnam. 2.) alius per auriculum abit in arteriam pulmonalem, & ex hac per canalem, duobus digitis a baſi cordis remotum, tranſit in arteriam magnam, ex qua per totum corpus defertur. Cum e contrario ſanguis in adultis per venam cavam ad dextrum cordis ventriculum & auriculam delatus tranſeat per arteriam pulmonalem in ſiniſtrum cordis ventriculum & auriculam, & inde per arteriam magnam ad totum corpus. At quia in his ſanguis aliam habet viam, foramen illud tractu temporis coaleſcit, canalis

canalis autem propter defectum nutrimenti exſiccatur & tandem contabeſcit. Sanguis autem dicto modo per fœtum delatus per duos ramos iliacos revehitur in duas arterias illas umbilicales.

§. 7.

Ratio horum phænomenorum & modus augmentationis fœtus ex illis, inventu difficilis non eſt. Animalculum intrat ovulum & in eo in hominem transformatur (cap. 4.) Cum igitur fœtus in tunica amnio & chorio invenitur (§. 4.) ſine dubio ipſum ovulum has tunicas conſtituit.

§. 8.

Ex obſervatione Ruyſchii, tertia circiter pars ovuli meris vaſculis ſanguiferis contexta eſt. conf. Liſchniz de Ortu & propagat. hominum. §. 45. Cum igitur placenta uteri, quæ in utero adnaſcitur ovulo, ſit tale corpus (§. 4.) quin ipſa pars ovuli placentam conſtituat, dubitandum non eſt.

§. 9.

In ovulo matris jam adeſt humor albicans (§. 21. c. 2.) Dum igitur ex ovulo oriuntur tunicæ (§. 7.) & in amnio liquor amnii continetur (§. 4.) hic ex illo non poteſt non ortum trahere. Aſt, quia liquor amnii, humorem ovuli copia longe ſuperat, etiam tunc, cum nondum urina fœtus autus eſt (§. 4.) ovulum enim ſemper creſcit (§. 13. c. 4.) nec tamen via adparet, per quam is in illud deferatur, præcipue quam diu ab ovario avulſum & utero

utero nondum connexum eſt ovulum, neceſſe eſt, ut liquor ille ex humoribus ovarii tubæ vel uteri per poros ovuli vel tunicæ tranſeat. Creſcit autem ovulum extendendo, dum novæ particulæ accreſcunt.

§. 10.

Dum animalculum jam explicatur, & fœtus augmentatur, antequam ovulum per placentam utero adcreſcat (§. 13. c. 4.) adeoque etiam antequam ſanguis maternus in infantem circuletur (§. 5. 6.) idque ex arboribus etiam patet, ſequitur, ipſum liquorem amnii eſſe primum fœtus nutrimentum, unde augmenta capiat. Sine enim nutrimento non poſſet creſcere, nec tamen aliud adeſt. Hanc autem nutritionem, ſi ab analogia aliarum nutritionum animalium concludas, per accretionem particularum internarum, potius fit, quam externarum.

§. 11.

Animalculum dum intrat ovulum, in principio liberum in eo jacet. Aſt, fœtus ex animalculo ortus vid. cap. 4. Dein per funiculum umbilicalem cohæret amnio (§. 4 ſeqq.) i. e. ovulo (§. 7.) Ergo neceſſe eſt, ut animalculum per ſubtiliſſimas fibras intus cavus accreſcat ovulo. Pariter neceſſe eſt ſubtiliſſima vaſcula ſanguifera ovuli (§. 8.) cum talibus uteri coaleſcere, quia alias amnium per placentam non poſſet cohærere utero. (§. 4.)

§. 12.

Poſtquam hæ accretiones factæ, ſanguis mater-

maternus in uterum delatus (cap. 2.) liberum habet in foetum tranſitum, vnde dubium non eſt, quin ex arteriis matris in foetum pellatur, ac pariter, uti in corpore adulto chyloſum ejus cedat in foetus nutrimentum. Sed quia ſanguis per arterias umbilicales regreditur in matrem, (§. 5.) ſequitur, non omnem inpendi in ejus nutrimentum. Et quia fœtus jam habet ſanguinem ante ovi cohæſionem & placentæ, vaſorumque umbilicalium perfectionem, uti patet ex exemplo avium, non ex ſanguine materno primum ſanguinem inmediate capit foetus.

§. 13.

Fœtus in nativitate mortui, in ventriculo liquoris amnii partem aliquam geſſerunt, (per obſervationes anatomicas.) Et vivi nati excrementa ſæpe deponunt, antequam lacte vel alio nutrimento veſcantur. Hinc dubium non eſt, quin ſicut liquor amnii primum ipſorum nutrimentum eſt (§. 10.) eundem etiam ad nativitatem uſque ore in nutrimentum hauriant. vid. Bohmius in Progym. II. p. 27. Sed liquor ille, ut omnes alii in corpore humano, a ſanguine materno ortum trahit. Ergo ſanguis matris inmediate (§. 12.) & mediante hoc liquore eſt nutrimentum.

§. 14.

Reſpiratio non fit nec fieri poteſt ſine aere; fœtus in utero amnio & liquore amnii eſt incluſus (§. 4.) Ergo fœtus in utero non poteſt reſpirare, adeoque ſine reſpiratione vivit. Hinc pulmones fœtus, utpote in quas aer in reſpiratione

tione intrat, & rurſus exit, multo denſiores ſunt, quam poſtquam is natus eſt, & ſpirare cœpit, & propter majorem denſitatem ſunt etiam graviores. Vnde 1) Pulmones embryonis mortui ſolent etiam in aqua ſubſidere; ſi autem vivus natus eſt, natare. conf. Teichmeyeri Med. Leg. C. 24. p. 238. ſeq. 2) & patet ſimul ratio, cur ſanguis in embryone per pulmones non habeat tranſitum liberum (§. 6.)

§. 15.

Fœtus formatur ex animalculo ſpermatico (§. 9. & c. 4. §. 12.) Hæc autem ſine dubio differunt ſexu (§. 11. c. 4.) Vnde adparet, cur naſcatur & formatur vir vel fœmina. Et quia nec in poteſtate patris generantis, nec matris concipientis eſt poſitum, vel animalculum mas vel fœmina ovulum intret; Ars etiam filium vel filiam generare eſt nulla.

§. 16.

Dum ſanguis ex matre tranſit in fœtum (§. 12.) & ad hujus augmentationem non parum confert (§. cit.) neceſſarium eſt, ut, ſi qui ſanguis motus extraordinarii in matre per imaginationem vehementiorem vel adfectum oriantur, iidem debeant ad foetum propagari. Vnde in tenerrimo corpore infantis, & in ipſa formatione externa adhuc conſtituto variæ mutationes poſſunt produci, eique imprimi.

Et hinc poteſt intelligi, quomodo fiat, ut infans hujus vel illius formam referat, ut hoc vel illo ſigno notatus ſit, ſcilicet propter vehementiorem imaginationem matris, & quid faci-

en-

endum, ut infantes pulchros generemus, ſcilicet, mater gravida ab adſpectu omnis rei foetidæ avocanda, ſi inſoliti quid ex inproviſo cum adfectu videat, ne tangat corpus ſuum, monenda, & formæ hominum elegantiores, ut ſibi diligenter imprimat, ei ſunt proponendæ.

§. 17.

Malebranchius caſum ſingularem refert de foemina gravida, quæ, poſtquam latronis crura a carnifice frangi viderat, peperit infantem, pedum & brachiorum fracta crura gerentem, pariter hic effectus imaginationis maternæ eſt. Siquidem mater triſte ſpectaculum videns, ipſa quaſi per imaginationem & commiſerationem vehementiorem, in brachiis crurisque dolorem ſenſit ac ſi frangerentur, & ſanguis ejus extraordinarie commotus, & in embryonem propagatus, ſimiles motus in tenerrimis membris ejus produxit, unde oſſicula ejus molliſſima disrupta. Vnde patet a talibus adſpectibus etiam arcendas eſſe gravidas.

§. 18.

Quando matris anima hoc vel illo adfectu commovetur, propter animæ cum corpore harmoniam motus, etiam extraordinarius ſanguinis & fluidi nervei, huic adfectui conveniens in corpore ejus excitatur. Sed qualis eſt motus ſanguinis in matre, talis etiam in embryonem propagatur (§. 16.) & hoc modo corpori embryonis diſpoſitio imprimitur, tales motus facile reproducendi. Cum corpore embryonis, anima ejus in harmonia vel commercio eſt, er-

go, quales affectus anima matris experitur, tales etiam, licet obſcurius, in anima infantis producuntur, adeoque huic ſimul diſpoſitio imprimitur, tales affectus facile reproducendi. Sed diſpoſitio hominis ad certi generis inclinationes, adfectus & motus corporis convenientes facile producendi, dicitur *Temperamentum hominis, Ergo mater pro conditione inclinationum ſuarum, tempore graviditatis & affectuum, temperamentum etiam imprimere poteſt infanti.*

§. 19.

Habemus triplicem hominis temperamenti cauſam.

1) *Diſpoſitionem animalculi*, ex quo generatur homo (§. 6. c. 4.) & eatenus temperamentum infantis non eſt in poteſtate parentum. Attamen hinc poteſt colligi, cur temperamentum, vel morbus hæreditarius patris, ſæpe in filium vel filiam tranſeat, nempe, ſi animalculum, utpote in ſemine virili exiſtens (§. 27. c. 1.) & ex illo ſine dubio nutrimentum capiens, eandem cum patre naturam induat.

2) *Statum matris tempore graviditatis* (§. 18.)

3) *Educationem infantis*. Quæ poſteriora ſunt in parentum poteſtate.

§. 20.

Vt igitur laudabilis temperamenti liberos generemus, exemplo Sinenſium. vid. Wolffii Oratio de ſapient. Sinenſ. matres gravidæ ab omnibus inclinationibus & affectibus malis ſunt avocandæ, in bonis e contrario & laudabilibus exercendæ.

§. 21.

§. 21.

Ex hactenus dictis adparet, fictitia eſſe, quæ de homunculis chymicis, nonnulli Chymicorum narrarunt, dum hominem etiam oriri poſſe credunt, vel ſi ſemen maris & fœminæ phialæ inditum fimo equino cooperiatur, & fœtus dein ſanguine menſtruo nutriatur, vel ſi ovulum fœmineum vitro chymico ſupponatur, lentoque calore & ſanguine humano alatur fœtus. Prius enim oppido abſurdum, quia mulieres carent ſemine (§. 17. c. 2) In poſteriori caſu etiam, ſi ovulum impraegnatum ſupponatur vitro chymico, non poterit tamen fœtus habere nutrimentum conveniens, nec ad pallitiem Aegyptiorum poteſt provocari, quia aves ex ſolo ovo ſumunt nutrimentum, non fœtus humani (§. 12.) vid. Paracelſus de Natura rerum. Rolfinck de Partibus genitalibus utriusque ſexus part. 2. c. 45. p. 181.

CAPVT 6.

DE

ORIGINE ANIMÆ.

§. 1.

ENs, quod ſibi, ſui aliarumque rerum extra ſe poſitarum in nobis conſcium eſt, dicitur *Anima*. Cum autem, teſte experientia, tale ens in nobis ſit, datur etiam in nobis anima. De origine autem ejus diſputaturi, non loquimur de origine animæ primi hominis, utpote quam per creationis miraculum accepit, ſed de origine animæ in generatione.

§. 2.

De animæ in generatione origine, infinita ſunt fere ſententiarum inter Gentiles, Judæos, Chriſtianos, Theologos, Medicos, Philoſophos divortia. Dum auctores alii

I) Eligunt ἐπέχειν, ex quibus B. Buddeus in Theolog. Dogm. & Berger de Natura humana L. 1. c. 1. p. 464.

II) Certi quid determinant, & hi animam oriri dicunt vel

1) *Ex nihilo*, quod ſtatuunt *Creatiani*, dicentes: Deum quotidie adhuc facta a parentibus generatione in corpore fœtus, creare animam, idque die vel tertio, vel quarto, vel quinto, vel nobis incerto. Hanc ſententiam Pontificii in Concilio Lateranenſi, Articulum fidei eſſe decreverunt, & ex noſtratibus defenderunt multi. Aſt obſtat. α) Quod Deus creatione abſoluta, ab omni nova nunc ceſſet creatione. Gen. II. β) Quod ſtante hoc ſyſtemate, peccati originalis propagatio explicari non poteſt. Nam, ſi Deus infantis creet animam cum peccato originali, eſſe eum cauſam peccati, ſi puram, juſtitiæ & miſericordiæ Dei repugnare, detruſionem ejus in corpus peccaminoſum aſſeverant Theologi. Argumenta pro vid. in Alberti Diſſ. de Termino animationis fœtus, p. 27. c. 2. §. 14. & Zeiſold in Diatriba Hiſt. Elencht. Sententiæ creationem animæ rationalis ſtatuentis antiquitate & veritate.

2) *Ex aliquo præexiſtente*, eoque vel α) *Spiritu* eoque vel A) infinito, i. e. Deo, quem animam mundi ſeu ſpiritum univerſalem dicunt eſſe.

Hoc

Hoc docet Plato, vid. S. R. Moſheimius in notis ad cel. Angli R. Cudworthi Syſt. Intellect. p 32. n.15. ſententiæ huic ſubſcripſere Fanatici, dicentes: Divinæ eſſentiæ, ex qua per emanationem mirabilem inſpiretur fœtui, animam humanam eſſe particulam. Sed obſtat: Quod Deus ſit ſpiritus & hinc ens ſimplex. Ens ſimplex autem propter defectum partium eſt indiviſibile. Alia argumenta, e. g. quod Deus ſit immutabilis, Deus absque peccato, anima peccaminoſa vid. Langii Diſſert. de Origine animæ, falſum etiam eſt, Deum eſſe animam mundi. B) finito & particulari & hoc vel א) numero non differente ab ipſa anima, quo pertinent 1) *Metempſychoſitæ*, ſtatuentes, certum quendam numerum animarum, ſub initio mundi creatum, quæ ex vno homine in alterum migrarent, nempe ex vivis ad mortuos & vice verſa, pro diverſitate vero actionum in vita peractarum, vel in locum bonum i. e. Campos Elyſeos vel malum i. e. Acharonticas regiones pervenirent, poſtquam poculum oblivionis hauſerint ex flumine Styge, ex his autem reverſæ, ad vivos iterum mox in perſonam illuſtrem vel humilem pro differentia prioris vitæ migrent. Matth. XVI, 14. Joh. IX, 51. Sed quis, niſi hi poetice philoſophuntur. Quam ſententiam fovit Pythagoras, Plato, vid. S.R. Moſheimius in notis ad Cudworthum p.30. n.6 Pars quædam Judæorum idem ſomniarunt, conf. Schlevogtii Diſſ. de Metempſychoſi Judæorum, & incolæ Majorcæ, Minorcæ & Yphicæ ab hac non diſſentire

 dicun-

dicuntur ſententia. vid. Berckenmeier in Antiquario. 2) *Metemſomatiſtæ*, docentes pariter, certum animarum numerum in principio eſſe creatum, quæ vero non tantum ex homine in hominem, ſeu ad ſuperos & inferos migrarent, & reverterentur, ſed pro ratione vitæ anteactæ, vel in bruta, vel in plantas &c. & ex his demum ſolutis, in homines pervenirent. Ita docuit præprimis Empedocles, Pythagoræ diſcipulus. Sed quis credere poſſet, hunc atomum cerebri habuiſſe. Vtriusque ſententiæ enim obſtat, *) quod conceptibile non ſit, animam omnis ſtatus præteriti plane poſt reditum in aliud corpus obliviſci. Poculum enim Stygium ad figmenta pertinet, & ſimplicitati animæ adverſatur. **) Theologi longe alium ſtatum animæ poſt deſtructionem corporis docent. Videntur autem hæ opiniones, ex doctrina de reſurrectione male intellecta, ortum trahere, 3) *Infuſiani*, quorum alii ſtatuunt a) animas humanas quidem ſimul cum angelis omnes eſſe ex nihilo creatas, ſed faſtidio bonorum ſpiritualium, quibus in cœlo fruebantur, amare cœpiſſe res terrenas, & ideo a Deo in corpora tanquam carceres detrudi, eo tempore, quo corpus fœtus in utero, jam qua plurimas partes formatum ſit, quod probare conantur ex Pſ. CXIX. 67. & CXXXXII. 8. quæ loca autem probandum non probant. b) Animas humanas ſimul cum angelis eſſe conditas, ac dein modo unam modo alteram ad corpus noviter oriundum mitti, licet illæ in coelo non peccaverint, nec corpus ejus ſit loco carceris,

quæ

quæ Rabbinorum jucunda fuit ſententia, cui opponitur Zach. XII. 1. Sed etiam hæc ſententia, nullo niſi fundamento caret, & cur ſtatus præteriti non memor ſit anima. 4) *Vnioniſtæ*, qui in ſtaminibus ovulorum Evæ cum toto corpore ejus ſimul a Deo productis, ſtamina omnium reliquorum hominum, & cum his, animas eorum ſimul in principio productas & utrasque ſimul unitas eſſe, donec ſucceſſive per generationes evoluantur, dicunt. Quæ ſententia eſt Planeri in Diſſ. de Animæ humanæ propagatione 1722. ſed huic repugnat. *) quod ex animalculis ſpermaticis potius, quam ſtaminibus ovulorum animalia & homines generentur (§.11.c4.) **) Si etiam ex tali ſtamine generetur homo, conceptibile non eſt, cum materia in infinitum non ſit diviſibilis, in tam minutiſſimo ſtamine infinita alia in longe minoribus ſemper formis poſſe dari. Cadente igitur hac re, cadit etiam hæc animæ origo.

ב) Numero differente ab ipſa anima, quod docent *Traduciani*, quorum alii ab anima matris, alii ab anima utriusque parentis, plurimi ab anima patris, animam infantis oriri & propagari dicunt, idque vel immediate vel mediantibus ſpiritibus, quos fingunt, genitalibus, unde hi ultimi ſpeciatim *ſpiritualiſtæ* dicuntur. *Hi ſententiam ſuam probant.* 1) ex eo, quod Deus homini dederit vim, ſeſe multiplicandi. Gen. I. 28. 2) quod Deus ipſe ex coſta Adami & corpus & animam Evæ produxerit, Geneſ. II. 22. 3) quod Deus a creatione novarum creaturarum quieſcat. Gen.

II, 2. 4) quod animalia ſui ſimilia generent, unde, ſi homo id non faceret, ſit deterior brutis. 5) Quod totus homo ex anima & corpore conſtet, unde, ſi homo hominem generare debeat, debeat & animam & corpus generare, 6) quod generatio non contradicat eſſentiæ ſpirituali animæ, ſiquidem ſi Deus angelos generare vellet, & hi generarent. 7) Quia anima ſit ſubjectum peccati orig. unde ſi homo propagetur per parentes Pſ. LI, 7. anima etiam propagetur. 8) Ex S. Scriptura adducunt Gen. V,3. Adam genuit filium ad imaginem ſuam. Gen. XLVI, 26. Omnes animæ, quæ ex lumbis Jacobi venerant. Pſ. VII. Job. XIV. 4. Joh. III, 6.

Sed Reſpondetur, ad 1) Non valet conſequentia & antecedens 2) eſt incertum, & conſequens negatur, 3) 4) 5) Non valet conſequentia 6) Negatur antecedens. 7) Non valet conſequentia, nam propagatio peccati originis, ex ſupra dictis c. 5. §. 18. ex parte jam intelligi poteſt. 8) Non valet conſequentia, nam potius obſtat traduci ſimplicitas animæ; ſi enim anima eſt ens ſimplex, adeoque indiviſibilis, fieri nequit, ut ex anima parentum, anima infantis oriatur, nec eſt, cur dicas, animam parentis animam infantis ex nihilo producere, hoc enim eſſet vera creatio. Creatio autem eſt actio ſoli Deo propria.

β) *Corpore*, eoque vel ℵ) Vniverſali ſeu cœlo, ex quo anima oriatur, vel a) Per emanationem naturalem, ita, ut infans naſcatur ſine anima, cum habitu autem animam attrahat, quæ Stoi-

Stoicorum ſententia eſt, vid. Cudworth. L. c. Tom. I. p. 502. & Jacobi Thomaſii Diſſ. de Origine animæ ſect. 3. p. 162. vel *b*) per creationem aliquam ſupernaturalem, quæ, quia ex materia præexiſtente fiat, ſecunda dicenda ſit. conf. Thomaſium l. c. ב) Particulari, quod ſint

1.) Stellæ & Sidera. conf. Cicer. Somnium Scipionis. c. 3.

2.) Semen, ex quo oriatur anima, ſecundum Educianorum ſententiam. *a*) Naturaliter, quod docuit Ariſtoteles, ſemen potentia hominem, adeoque animam eſſe etiam aſſerens. conf. Posneri Diſſ. de Animæ ortu in generatione. *b*) Per ſingularem operationem divinam, quod placuit Jacobo Martini, teſte Thomaſio in Diſſ. cit. Sect. 3. §. 128. Sed omnibus his obſtat, quod, ſi anima per dictas hypotheſes, ex corpore oriatur, ipſa etiam corporea, adeoque ens compoſitum debeat eſſe, quod Spiritualitati & Simplicitati ejus repugnat. conf. Valent. Alberti Diſſ. de Termino animationis fœtus in utero. c. 2. item Thomaſii Diſſ. de Origine Animæ.

§. 3.

In tantis rerum difficultatibus, vix ubi tuto pedem figere liceat, ſupereſſe videtur. Videamus igitur, an ex ſuperioribus & de proxima & de ulteriore origine animæ poſſimus aliquid eruere.

§. 4.

Anima eſt ens ſimplex, vi repræſentativa univerſi, pro ſitu corporis ſui organici, præditum, ſeu pro mutationibus in organis ſenſo-

riis corporis ſui factis. (§. 742. & 753. Met. Wolff.) *Repræſentatio autem quadruplex in ente ſimplici eſt poſſibilis.*

1.) *Obſcura*, ut ne entia totalia a ſe invicem diſtinguantur.

2.) *Clara*, ut illa tantum diſtinguantur.

3.) *Diſtincta*, ut & totalia & totalium partes diſtinguantur, licet non plane.

4.) *Diſtinctiſſima*, ut omnia & maxima & minima perfectiſſime & adæquatiſſime diſtinguantur. Quos gradus eſſentiales in vi repræſentativa vocamus, quia totum repræſentationis modum variant. Quilibet autem horum, ultimo excepto (n. 4.) rurſus admittit gradus accidentales, e. g. ut obſcuritas vel claritas major vel minor ſit. (§. 900 - 903. & 894. Met. Wolff.) Vnde evidens eſt, quo minor eſt gradus accidentalis obſcuritatis, eo magis accedi ad inferiorem accidentalem claritatis, & quo major eſt claritatis gradus, eo magis accedi ad diſtinctitatem.

§. 5.

Dum anima hominis primo poſt partum tempore, actu non habeat niſi claras repræſentationes, & mediante exercitatione & uſu linguæ deinde ad diſtinctas pervenit, & in his ſemper ad majorem gradum accidentalem, quod docet experientia, exemplo ejus evidens eſt, in ſe inpoſſibile non eſſe, quin ens ſimplex mediantibus gradibus accidentalibus ſuperioribus & inferioribus ex gradu eſſentiali inferiore quodam, in ſuperiorem transeat. Licet

cet *a*) gradum ſupremum nequeat obtinere, utpote qui eſt entis infiniti, quale eſt tantum unum. vid. Bülffingeri Dilucid. philoſ. §. 410. *b*) nec cuilibet indiſtincte id forſan pro ſtatu ſuo poſſibile ſit.

§. 6.

Brutis animantibus competunt animæ (§. 781. Met. Wolff.) hinc ſine dubio animalcula ſpermatica animabus ſunt inſtructa, i. e. entibus ſimplicibus vi repræſentativa univerſi pro ſitu corporis ſui præditis. (§. 4.) Sed quia minutiſſima & admodum imperfecta ſunt corpora ipſorum, ut hinc in organis ſenſoriis corporum ipſorum, pauciſſimæ accidere queant mutationes (§. 27. c. 1.) animas etiam illorum, utpote mutationibus convenientes (§. 4.) obſcuras & parum claras repræſentationes gerere oportet. Sunt igitur animæ ipſorum ſenſitivæ, nondum rationales. Nam per modum repræſentandi diſtinctum anima rationalis a ſenſitiva dignoſcitur. (§ 892. Met. Wolff.)

§. 7.

Anima hominis in utero & paulo poſt nativitatem claras tantum repræſentationes habet, & deinde diſtinctas, adeoque pertinet ad claſſem ſecundam & tertiam, cum anima animalculi ſpermatici ſit ex prima vel ſecunda. (§. 4. 6.) Dum autem tranſitus entis ſimplicis ex claſſe inferiore, vel a gradu eſſentiali inferiore ad ſuperiorem ſit poſſibilis, (§. 5.) fieri poteſt, ut, veluti corpus animalculi transformatum & perfectius redditum, conſtituit corpus humanum,

manum, (§. 1. c. 5.) ita anima ejus propter harmoniam cum corpore, ſimul ſuo modo perfectior reddita & ad majorem repræſentandi gradum eſſentialem evecta, conſtituat animam humanam, *adeoque* anima ſenſitiva fiat rationalis.

§. 8.

Quomodo autem evectio naturaliter fieri queat, ita explicat Leibnitius in Theodicæa, (§. 396.) Quod animæ ſolæ animalculorum ſpermaticorum ad naturam humanam aliquando conſtituendam deſtinatorum, potentia jam involvant rationem aliquando adpariturам, adeoque eſſentialiter a reliquis differunt. Vnde corpore conveniente per gradus accidentales, ab inferiori eſſentiali poſſint ad ſuperiorem tranſcendere.

§. 9.

Contra hanc poſſibilem animæ originem opponi poſſe videtur;

1.) Hac ratione omnium brutorum animas, in rationales & humanas poſſe converti, quod tamen abſurdum. Reſpond. Non valet conſequentia. Non enim omnes omnino nec brutorum animæ involuunt potentia rationem, de talibus autem id tantum adſeruimus. (§. 8.)

2.) Hac ratione innumeras hominum animas in qualibet generatione, vel coitu, vel pollutione nocturna interire, quia innumera pereunt animalcula ſpermatica, animam rationalem involuentia. (§. 13. c. 4.) Reſpond. Conceditur in tali actu innumera perire animalcula ſpermatica, ſed illa *a*) actu non habent niſi animam

mam ſenſitivam, eamque admodum inperfectam, (§. 6.) unde ſi tale animalculum moriatur aut pereat, pariter res ſe habet, ac cum anima alterius bruti. *b*) potentialiter nec ſunt animæ humanæ, adſumto, quod dictum (§. 8.).

§. 10.

Hæc poſſibilis animæ origo eſt etiam actu. Nam ſi anima humana in generatione nec ex nihilo oriatur, nec ex corpore, nec ex ſpiritu a ſe diverſo, (§. 2.) ſequitur eam præexiſtere debere. Nihil enim aliud ſupereſt. Nam aut ex nihilo aut ex aliquo, & ſi hoc, aut ex compoſito, aut ex ſimplici, & ſi hoc, aut numero ab ipſa differente, aut non differente.

Sed *a*) non ex nihilo. Si enim ex nihilo oriretur, aut oriretur naturaliter, aut ſupernaturaliter operatione Dei inmediata. Sed non naturaliter, quia dum productio ex nihilo eſt creatio, natura poſſet creare, ſi poſſet aliquid ex nihilo producere. Sed creatio eſt actio ſoli Deo propria, (per princ. Theol. Nat.) nec ſupernaturaliter per operationem Dei inmediatam. (§. 2. n. II. 1.)

b) Nec ex corpore (§. 2. n. II. 2. β) nec ex ſpiritu a ſe diverſo, quemcunque enim adſumas, notioni ſpiritus, qui ens ſimplex eſt, [nam corpus & compoſitum nequit cogitare, (§. 738. Met. Wolff.) ſpiritus autem id poteſt. Ergo Spiritus non eſt compoſitum] & hinc ſine partibus, (§. 75. Met. Wolff.) adeoque indiviſibilis (§. 55. Met. Wolff.) repugnat ex eo oriri aliud ens ſimplex vel animam vel ſpiritum. (§. 2.

(§. 2. n. II. 2. α) *Ergo anima in generatione debet præexiſtere.* Dum igitur anima in generatione præexiſtit, aut præexiſtit tanquam anima rationalis, i. e. valde claris & diſtinctis repræſentationibus prædita, aut tanquam obſcuras & minus claras repræſentationes gerens, aut tanquam per omnia diſtinctisſimas gerens, (§. 4.) ſed non ultimum, quia id entis infiniti eſt, quale eſt tantum unum, vid. Bulffinger Dilucid. §. 410. Nec primum, quia valde claræ & diſtinctæ repræſentationes producunt τὸ eſſe ſibi conſcium. (§. 737. Met. Wolff.) Vnde, ſi anima ante generationem in tali ſtatu fuiſſet, nobis illius, ſaltim ex parte, deberemus eſſe conſcii, quod non eſt. *Ergo anima ante generationem fuit in ſtatu obſcurarum & minus clararum repræſentationum.*

§. 11.

Quia igitur anima humana ante generationem eſt in ſtatu repræſentationum obſcurarum & minus clararum (§. 10.) ipſa autem anima animalculi ſpermatici, ex cujus corpore corpus humanum oritur, eſt tale ens ſimplex, (§. 6.) cujus repræſentationes jam convenientes corpori ſuo, dubitandum non eſt, quin ex ipſa anima animalculi transformati, anima hominis, modo ſupra (§. 5. 7. 8.) dicto, oriatur, pariter concludimus ut ſupra. (cap. 5. §. 7. 8.)

§. 12.

Dum igitur anima infantis oritur ex anima animalculi (§. 11.) hoc autem ex ſemine paterno in ovulum maternum, tanquam hoſpitium ſuum venit (§. 14. c. 4.) evidens eſt, nos docere tradu-

traducem animati, ſcilicet infantis, ex animato patre, licet non animæ illius, ex anima hujus. (§. 2. n. II. 2. α. B. ב.)

§. 13.

Anima animalculi ſpermatici fit anima infantis. (§. 11.) Cum igitur hæc anima jam ante conceptionem in animalculo adeſſet, evidens eſt, *fœtum etiam a primo conceptionis momento eſſe animatum*, licet anima in principio ſit tantum ſenſitiva. (§. 6.) *Terminus animationis fœtus* dicitur tempus, quo, fœtus inanimatus antea, accipit animam. Ergo *terminus animationis fœtus eſt nullus.* Error autem multorum, quod fœtus in medio geſtationis animam accipiat, inde traxit originem, quod tum demum fœtus incipiat ſe movere.

§. 14.

Vt autem originem animæ remotiorem perſpiciamus, ad originem animalculorum ſpermaticorum ulterius eſt attendendum. Dum animalcula ſpermatica in ſemine ſunt, & vivunt, non extra illud (§. 27. c. 1.) Wolff. Phyſ. Exper. Tom. 3. p. 452. neceſſe eſt, ut *aut* dum ſemen ex ſanguine ſecernitur, (§. 6. c. 1.) una cum ſemine ex ſanguine veniant in teſticulos & veſiculas ſeminales, *aut* ibi jam præexiſtant & per ſemen ſecretum accedens, tanquam fluidum ſuum vivificentur, tertium enim non datur.

§. 15.

Poſterius reſolvitur in *ſyſtema involutionis*, cujus hæc mens eſt, quod omnia animalcula

ſpe-

ſpermatica, a primo rerum principio, licet minori ſemper forma, jam fuerint intra ſe contenta, & ſucceſſu temporis per novas generationes demum evolvantur, ita, ut e. g. animalculum ſpermaticum in ſemine Adami, ex quo Sethus generandus erat, jam continuerit, ſed minori forma ea, ex quibus nepotes Adami debuerunt generari, & hæc rurſus minori forma ea, ex quibus pronepotes & ſic in infinitum. Verum, dum animalculum ſpermaticum ad granum arenæ = 1 : 100060. (§. 27. c. 1.) & ſine dubio plura quam 100000. grana arenæ pertinent ad corpus Adami conſtituendum, minima proportio animalculi ſpermatici ad corpus Adami facile intelligitur. Jam ſine dubio animalculum, ex quo nepos fieri debet, eandem ad id, ex quo filius, proportionem habet, & id, ex quo pronepos fieri debuit, eandem ad id, ex quo nepos, & ita porro, quia jam omnia fuerunt intra ſe invicem contenta. Aſt, ſi in mira ſubtilitate ita progrediaris, verendum, ne nimis cito pervenias ad ſimplicia, nec amplius diviſibilia, præſertim ſi longa ſeries poſterorum Adami conſideretur.

§. 16.

Cum igitur poſterius (§. 14.) nequeat admitti (§. 15.) *manet prius*, ſcilicet, *quod animalcula ſpermatica cum ſemine a ſanguine ſecernantur, & ita in teſticulos & veſiculas ſeminales veniant.* Si igitur in ſanguine ſunt, antequam veniunt in ſemen, ſanguis autem partim ex Chylo, qui ex cibo & potu conficitur, oritur; partim in pulmonibus aeris

aeris halitu permiſcetur, neceſſe eſt, ut partim per cibos & potum, partim per halitum corpus intrent. Nam quomodo tanquam corpuſcula organica, ex corporis humani fluidis, tanquam in organicis naturaliter oriri debeant, conceptibile non eſt. Si igitur per cibos, potum & halitum corpus intrant, in aere, aqua, terra debent præexiſtere. Aſt, quia extra ſemen non vivunt, (§. 27. c. 1.) neceſſe eſt, ut, antequam in ſemen veniant, corpuſcula adhuc imperfectiora, attamen organica gerant, & hinc animæ etiam eorum mutationibus in corpore convenientes, obſcuriores adhuc repræſentationes habeant, (§. 6.) ipſa demum in ſemine vere vivificentur.

§. 17.

Contra hanc ſententiam opponi poſſe videtur.

I.) Quod, cum pueri etiam & mulieres edant, bibant & oris halitum trahant, in illius eſſe deberent animalcula ſpermatica. (§. 16.) Quod tamen falſum. Aſt, quamvis corpuſcula, ad animalcula conſtituenda apta, per cibos, potus & halitum in corpora iſtorum perveniant, non tamen fieri poſſunt animalcula ſpermatica, quia hæc extra ſemen virile non vivunt. (§. 27. c. 1.) In mulieribus autem non datur ſemen virile (§. 17. c. 2.) nec in pueris. (§. 2. c. 3.)

§. 18.

II.) Dum immanis eorum copia in ſemine deprehenditur, (§. 22. c. 1.) tota natura rerum

ejusmodi corpuſculis organicis, ad animalcula conſtituenda ſpermatica aptis, deberet eſſe repleta, quod videtur inconveniens. Reſpond. N. V. C. Dum enim inter ſe generant, (§. 11. c. 4.) & paruitate corporum ipſorum, ſine dubio tempus geſtationis proportionatum eſt, per novas generationes adeo multiplicari poſſunt, dummodo quædam antea ex ſemine advenerint.

§. 19.

III.) Quia in ſemine brutorum etiam animalcula ſpermatica reperiuntur, (§. 27. c. 1.) & hinc dubitandum non eſt, quin fœtus eorum, ex illis etiam oriantur, bruta autem eodem modo animalcula ſpermatica accipiant, quo homo (§. 16.). Oritur quæſtio vexatiſſima: *Vtrum animalcula ſpermatica, dum adhuc in aere, aqua, terra exiſtant, omnia ſint eadem, an diverſa?* ſi eadem ſint, non adparet ratio ſufficiens, cur ex eodem corpuſculo organico & animalculo in hominem transeunte, homo in bovem, bos in canem, canis in avem, avis oriatur? Nec enim ex imaginatione tantus & tam conſtans effectus deduci poſſe videtur; nec, quomodo in ſemine virili ſtructura corpuſculi mutetur, ut homo inde oriatur, adparet. Si autem diverſa ſint, aut omnis generis animalcula transeunt in quodlibet animal vivum, aut in quamlibet animalium ſpeciem talia animalcula tantum, quæ ad ſpeciem apta ſunt. Si prius, non adparet ratio, cur homo tantum hominem, non etiam bovem, canem &c. generet, & ſic etiam de reliquis

liquis animalibus. Si poſterius, inpoſſibile videtur eſſe. Siquidem, ſi talia animalcula in cibo, potu & halitu exiſtunt, fieri non poteſt, quin quodlibet animal, omnis generis animalcula accipiet. Hæc omnia autem dubia per ſyſtema involutionis facile evitari poſſe videntur.

§. 20.

Aſt, quia α) Syſtema involutionis non poteſt admitti (§. 17.), β) & propter principium indiſcernibilium, non dantur perfecte ſimilia in univerſo, & hinc ſine dubio ſemen cujuslibet animalis, a ſemine alterius certa quædam qualitate differt (uti caro differt animalium, licet eodem cibo veſcentium.) His dubiis nos optime expediemus, concedendo 1) omnia animalcula, antequam in ſemen veniunt, non eſſe eadem, ſed pro diverſitate ſpecierum animalium differre. 2) Omnis generis animalcula, in omnes animalium ſpecies intrare, ſed cur non quodcunque animal omnis ſpeciei fœtus generet, hanc rationem dando, quod in cujuslibet animalis ſemine, propter ſingularem qualitatem ejus, ea tantum vivificentur animalcula (antea enim non vivunt vere §. 16.) quæ ad ſpeciem multiplicandam apta ſunt, non reliqua. Et per ſuperiora (§. 15. 16. 19.) utique ita res ſe habere debet.

§. 21.

Dum in aere, aqua & terra exiſtunt corpuſcula illa organica minutiſſima, entibus ſimplicibus obſcure ſtatum eorum ſibi repræſentantibus,

tibus, prædita, & ad animalcula conſtituenda apta (§. 16.) neutiquam autem quomodo ex elementis illa naturaliter oriri poſſint, explicabile ſit, nec Deus ea creet hodie, a novis creationibus quieſcens Gen. 2. v. 2. nihil ſupereſt aliud, niſi ut originem illorum, a prima cretione Dei repetamus, & ſic animæ origo ulterior & prima quæſita (§. 14.) intelligitur.

§. 22.

Ex hactenus dictis intelligitur α) quomodo ex Creatianorum & Traducianorum & Præexiſtentianorum ſyſtemate aliquid habeamus, & nullum tamen perfecte. Nam demonſtravimus 1.) creationem animæ in principio rerum factam, licet non tanquam animæ rationalis, ſed tanquam entis ſimplicis, obſcuris repræſentationibus prædìti (§. 21.) 2.) præexiſtentiam, licet non tanquam animæ rationalis, ſed immediate tanquam animæ ſenſitivæ (§. 11.) & mediate tanquam entis ſimplicis obſcuris tantum repræſentationibus prædìti (§. 21.) 3.) Traducem, licet non animæ ex anima, ſed animati ex animato (§. 12.) β) uti corpuſculum ſuo modo ſemper redditur perfectius, ita id fieri ſuo modo etiam in anima, unde dubitandum non eſt, quin ſtatim in principio a Deo harmonia quædam inter animam & corpus ſit conſtituta.

§. 23.

Quæ præcedentibus §. §. demonſtrata, originem quidem animæ veram ſatis evidenter indicant; Sed nunc in id inquirendum; An Deus

us haſce animas in tali ſtatu, quo ſummis quondam ornatas eſſe potuiſſent perfectionibus poſſibilibus, creaſſet, an non? Et, ſi eis talem dediſſet ſtatum, num Dei repugnaret juſtitiæ ſanctiſſimæ; animas haſce detrudere in corpus quoddam, quod natura multis obrutum inperfectionibus, quas, ob harmoniam, anima ſentit omnes.

§. 24.

Deum produxiſſe animas ad ſtatum perfectiſſimum, cujus participes fieri potuerunt, veritas evicta eſt. Etenim, cum Deus ſummum bonum, ſummaque gaudet bonitate (§. 1063. Met. Wolff.) Bonitas autem ſumma promptitudo eſt, alteri bona ſeu perfectiones tribuendi, quæ poſſibiles, non potuit non animas, omnibus perfectionibus poſſibilibus præditas, ex nihilo producere.

§. 25.

Animæ animalculi ſpermatici, naturam humanam olim cum corpore conſtituturæ, qua vim intrinſecam erant animæ tempore creationis (§. 8.) Hinc tanquam humanæ, poſteri, primi hominis. Cum autem ſummus rerum Moderator, inmenſa proſapientia ſua ac dominio, a nulla vi externa determinato, Adamo legem præſcripſiſſet hanc: Niſi de arbore vetita comederet, ſempiternis perfectionibus fore poſſeſſorem. Quare nullum dubium eſt, quin animæ animalculorum ſpermaticorum, animam humanam aliquando conſtituentes, huic præcepto ſubſcripſiſſent, quippe cum hac lege

ſempiternis ac pro ratione ſummis potuiſſent perfectionibus. Sed conſenſus, qui, licet actione phyſica indicari non poſſit, tamen ex ipſo colligitur negotio, dicitur *interpretandus*, conſenſu interpretando, actionem phyſice alienam, moraliter propriam ſibi reddiderunt. Adamo vero ab ea lege deflectente, & ipſæ animæ animalculorum perfectionibus, ob Adami delictum, tanquam moraliter illis proprium, ſunt privatæ.

§. 26.

Animæ animalculorum ergo ſpermaticorum ſunt, quibus Adam, iisdem obrutæ imperfectionibus, ſimulac in rationalem evehuntur (§. 25.) Hæ inperfectiones peccatum originale autem conſtituunt, conf. S. R. Reimbeck in Betrachtungen über die Augſpurgiſche Confeſſ. Betr. XXIV. §. 11. ſeq. Malo ergo hæreditario adflictæ cum corpore uniuntur.

§. 27.

Cum igitur Deus, animas ornavit perfectionibus poſſibilibus omnibus (§. 24.) & voluntate propria, per transgreſſionem legis, iſtis perfectionibus privatas, indit corpori, quod ab inperfecto parentum ortum trahit, hinc & ipſum variis laborat afflictionibus (§. 25.) Nulla hac in re Deum injuſtitia premit.

CAPVT

CAPVT 7.

DE PARTV.

§. 1.

PEr *partum* intelligimus excluſionem fœtus vel embryonis perfecti ex utero. Vnde ſi fœtus vel infans nondum plene, attamen maxima ex parte perfectus eſt, dicitur *partus immaturus*. Mulier autem, quæ infantem ex utero excludere nititur, dicitur *parturiens*.

§. 2.

Infans in utero hunc ſitum obtinet, ut faciem pronam genibus, cubitus inguinibus, manus capiti, pedes autem lumbis adplicet. Aſt, quia caput majorem ad corpus habet proportionem, quam in adultis, ſine dubio ex ipſa majori capitis gravitate & pondere oritur, quod infans perfectus ſitum ſuum convertat, capite decidendo ad orificium uteri internum, ita, ut facies poſterioribus matris ſit obverſa; pedes autem in altum porrigens.

§. 3.

Qui ſitus inſolitus converſus, dum non poteſt non moleſtiſſimus infanti eſſe, & dum præterea is non poteſt non tædium capere ex liquoris amnii nutrimento, utpote qui jam urina ejus eſt permiſtus, (c. 5. §. 13.) infans capite contra orificium uteri agere, pedibus autem

 ute-

uterum & matris ſpinam dorſi calcitrare incipit, hac ratione moleſtia ſeſe liberaturus.

§. 4.

Dum 1.) infans capite inpellit orificium uteri internum, hoc ipſum ſenſim dilatatur, ut permeare poſſit infans, quam dilatationem mater per pedum dilatationem debet adjuvare.

2.) Dum pedibus calcitrat uterum & ſpinam, α) vehementiſſimi dolores, præcipue in lumbis maternis inde oriuntur, die Wehen dicti, ut & commotiones corporis materni, qui dicuntur nixus & conſtrictio uteri, hoſpitem expellentis. β) Placenta uteri, ruptis ligamentis ſubtiliſſimis, paulatim ſolvitur.

3) Ex utraque actione infantis, oritur fiſſura tunicæ amnii, cui involutus erat fœtus, (§.4. cap. 5.) & rupta hac, abunde profluit liquor amnio contentus, (§. cit.) qui humectat vaginam, ut lubrica facta facilius dilatetur, & fœtui tranſitum concedat.

§. 5.

Ut infans facilius excludatur, mater debet etiam

a) halitum attrahere & cohibere; ita enim pulmones diſtenduntur, & his diſtenſis diaphragma deprimitur, cujus depreſſione ulterius deprimuntur inteſtina, inteſtina autem depreſſa, comprimunt ulterius uterum, ut eo facilius exprimatur infans.

b) Manibus femora comprimere, ut ulterius inteſtinis compreſſis, propellatur infans. Jer. XXX, 6.

§. 6.

§. 6.

Hæc omnia, quia ſe habent dicto modo, ſcilicet

1) ut infans capite dilatet orificium vaginæ internum (§. 3.)

2) Vt uterus conſtrictus & per calcationem infantis (§. 4.) & per attractionem halitus materni (§. 5.) expellat infantem.

3) Vt vagina lubrica & dilatata per humorem amnii effluentem, facile tranſitum det, fieri non poteſt, quin in lucem edatur infans, unde ſimul patet:

α) Signa inſtantis partus eſſe converſionem infantis in utero (§. 2.) dolores matris, & liquoris amnii effluxum (§. 4.)

β) Caput primum infantem porrigere in partu, uti & porrigere debet. Nam capite globoſo præmiſſo, non ſolum facile viæ tranſitus diſtenditur, ſed etiam reliqua membra non impediunt tranſitum ulteriorem, quod fit, ſi aliud membrum præmittatur.

§. 7.

Quodſi omnia hæc ſe recte habeant, *partus dicitur facilis*, non tam in ſe, quam reſpectu difficiliorum, & in ipſo partu fere non habeat, quod faciat obſtetrix, niſi ut excipiat infantem ſponte venientem. Et hinc ſimul intelligitur, quinam partus ſit difficilis, quod diverſimode eſſe poteſt.

§. 8.

Quia infans in partu caput primum debet porrigere (§. 6) non raro autem accidere ſolet, ut aliud membrum, e. g. dorſum, brachium,

 nates,

nates, pedes, latus primum porrigat per orificium uteri internum, quo facto, partus non poteſt fieri (§. 6.) licet & infans omnes vires impendat ad exitum, & nixus matris continuentur, & hoc modo uterque defatigetur, ut dein debitos vires impendere nequeant; ſimulac lignis partus inſtantis præſentibus, mulier parturire incipit, obſtetrix ante omnia digitis & manu oleo collitis, & vaginæ orificioque uteri interno ſenſim ingeſtis, explorare debet ſitum infantis, & ſi ille debitus non ſit (§. 6.) recte infantem collocare, ut caput orificio uteri interno adplicetur, quod, ut faciliùs poſſit efficere, peculiari ſellæ, anterius cavæ parturientem imponat.

§. 9.

Interdum infans in vaginam jam progreſſus, in curſu ulteriore impeditur, propter funiculum umbilicalem collo circumvolutum retrahentem. Quod ſi ſentiat obſtetrix, opera danda, ut involutione illa evolvat infantem.

§. 10.

Si liquor amnii nimis cito effluat, ut vagina ſit arida, per ſiphonem, oleum vaginæ & utero infundendum eſt, ut via reddatur lubrica & dilatabilis. Si orificium uteri internum nimis anguſtum, nec ſolis digitis dilatabile ſit, certa inſtrumenta ad ejus dilatationem adhibenda ſunt, & ſic infans jam nimis debilis, manu extrahendus eſt placide. Denique, ſi orificium vulvæ nimis anguſtum, perinæum paululum rumpendum eſt.

§. 11.

Si omnia hæc ſint fruſtranea, & verendum, ne

ne præter infantem, & ipſa mater moriatur, ſolent duriora media adhiberi. Scilicet,ut per certa inſtrumenta, corpori infantis adplicata, extrahatur, quod autem cum morte vivi infantis conjunctum eſt, vel infans in utero in partes ſecetur, & hæ per inſtrumenta extrahantur. Hi modi tum maxime habent locum, ſi infans in utero, vel partu jam ſit mortuus.

§. 12.

Signa autem infantis in utero mortui ſunt hæc:

1) Ceſſatio omnis motus infantis, quem mater vel obſtetrix ante ſenſerat.

2) Si infans in utero decumbat,in quodcunque ſe mater reponat latus.

3) Si venter matris inferius frigeſcat.

4) Foetor ex matre exiens, propter putredinem infantis.

5) Si funiculus umbilicalis, ex matre forte propendens, non amplius pulſet, propter deficientem ſanguinis motum in infante.

6) Si infans nec ullum edat motum, licet funiculus umbilicalis, forte ex matre propendens, vino vel alio liquore ſpirituoſo humectetur.

7) Si placenta uteri ante fœtum expellatur. Sic enim infans jam ceſſavit per illam nutrimentum capere. (§. 4. 12. c. 5.)

§. 13.

Quando præter ſupra dicta §. 8--10. nec extractio violenta poteſt adplicari cum effectu, e. g. ſi infans in tuba fallopiana hæreat, aut quando extractionem violentam, utpote cum interitu infantis conjunctam, (§. 11.) adplicare nolunt,

lunt, infantem potius, quam matrem ſervaturi, nonnulli adplicant ſectionem cæſaream, abdomen & uterum matris ſecando, ut infans, intus contentus, poſſit extrahi. Aſt, quia fieri non poſſe videtur, quin ſectio illa, cum certa matris morte ſit conjuncta, in vivam eandem exercere, crudele videtur eſſe, ſive robuſta adhuc ſit, ſive jam enervata. Nam ſi prius, potius expectandum eſt, annon per alia media Deus opem ſit laturus; ſi poſterius, certæ morti exponitur. Si autem mater jam mortua, & infans adhuc vivat, (id quod ad parvum tempus non impoſſibile videtur eſſe, ſiquidem cor infantis, poteſt adhuc eſſe in motu, licet cor matris jam quieſcat,) dubium non eſt, quin talis ſectio ſit adhibenda.

§. 14.

Operationes hæ difficiliores, chirurgo potius perito, quam obſtetrici relinquendæ ſunt, nec eſt verendum, ne per chirurgi admiſſionem, verecundia fœminæ lædatur, ſiquidem neceſſitas lege caret.

§. 15.

Dum infans in lucem editur, tunicæ amnii perruptæ pars, interdum capiti ejus inſidere ſolet, quæ vocatur *Galea*, Haube, Kleid, & quam vulgus pro omine magnæ fortunæ, ſed ſine ratione habet.

§. 16.

Simulac infans lucem adſpicit, aer propter elaſticitatem ſuam intrat os & nares ejus & ſimul pulmones, aere adhuc vacuas, (§. 14. c. 5.) & ſic infans reſpirare incipit. Dum autem repletio pulmonum & diſtenſio ab aere facta, ſine dubio dolorem creet infanti, primus hinc vagitus infantis, ſtatim poſt partum editus, oritur.

§. 17.

§. 17.

Infans corpore materno incluſus, eidem per funiculum umbilicalem adhuc cohæret, (§.8.c.5.) hinc ab eodem ſeparatur funiculus ille.

1) Arcte ad corpus firmiter colligandus eſt, ut ſanguis aliam nunc quærat viam, & niſi id fiat, corpus inſtar ovi ex umbilico naſcitur.

2) In diſtantia 3. vel 4. digitorum transverſorum a corpore infantis reſecandus eſt.

3) Calida aqua vel cereviſia lavandus, purgandus, & calefaciendus eſt, quo facto poſt aliquot tempus ſponte decidit.

§. 18.

Funiculo umbilicali cohæret tunica, amnium, chorion & placenta uteri (§.4.5. c.5.) Hinc ſimulac ſolutus a matre infans (§.17.) funiculus umbilicalis ex vagina matris propendens, leniter trahendus eſt, ut placenta ab utero ſoluta, & cum tunicis connexis extrahatur; quæ ſimulac in lucem prodeunt, vocantur, *ſecundinæ*, Nach-Geburt. Si autem extrahi hæc nequeant, aut rumpatur funiculus umbilicalis, obſtetrix manum illitam in uterum protendat, & ſolutam digitis placentam extrahat, ne quid maneat reſiduum, tanquam matri ob putredinem nocentiſſimum.

§. 19.

Si obſtetrix debitam explorationem inſtituens, (§.8.) Gemellos vel plures adeſſe ſentiat infantes, det operam, ut, quia ſimul exire nequeant, removeat unum, ne alteri tranſitus occludatur, & ſic unum, poſt alterum excipiat vel extrahat. Et quia gemini vel trini infantes unicam

tamen

tamen habere tantum ſolent placentam, ſecundinæ (§. 18.) extrahendæ non ſunt, donec omnes in lucem prodierint infantes.

§. 20.

Dum placenta ab utero ſolvitur (§. 18.) & hinc ſubtiliſſima vaſcula, per quæ utrumque cohæret, (§. 4. cap. 5.) & ſanguis circulum ſuum inſtituerat (§. 12. c. 5.) rumpit, ſanguis reſiduo liquoris amnii in utero adhuc exiſtentis permiſtus, in principio copioſe, deinde autem per aliquot dies, minimum 7. vel 8. interdum 30. vel 40. lentius effluit, donec viæ apertæ per ſe coaleſcant; hic fluxus dicitur *Lochia*, vel *purificatio mulierum*, die Reinigung.

§. 21.

Ne lochia nimis ſe effundant, & vires puerperæ enerventur, ei non dandum eſt vinum generoſum, utpote ſanguinis motum promovens. Quia potius, ſi lochia ſint nimia, illis obſiſtendum per colligationem ventris, per cucurbitam (Schröpff-Kopff) mammis adpoſitam, utpote per quam alia via oſtenditur ſanguini, vel per venæſectionem in brachio, quia ſcilicet ſecundinæ plene extractæ, ſin minus, plene extrahendæ. Quodſi vero lochia in nimis parva copia effluant, quia retentio illarum, propter remanentem in matre impuritatem, maxime nociva, fluxus eſt promovendus per media, quibus menſtruum promovetur. Attamen pro diverſitate corporum muliebrium non in omnibus æqualis eſt. Si puerpera poſt partum ſentit adhuc nixus uteri (Nachwehen) linteo venter colligandus eſt, ut ſedetur uterus.

Plu-

Plura media, ne lochia nimia effluant copia.

1) Inbibat puerpera ocul. canc. præp. cum aqua Meliſſ.

2) Quotidie utatur oleo amygdal. dulc. quantum cochlear capiat.

3) Roſen-Eßig auf die Puls am Armen, oder auch wol auf die Füſſe gebunden.

§. 22.

Quia corpori infantis nati adhæret impuritas amnii, ſimulac debite tractatus eſt (§. 17.) totus aqua calida lavandus, & dein brachiis, qua longitudinem corpori adpoſitis, poſitiſque pedibus juxta ſe invicem, ligandus, & lacte nutriendus eſt; & ſi forte in partu caput in figuram minus convenientem compreſſum, debita figura rotunda eidem imprimenda eſt.

§. 23.

Tempus partus in homine eſt ordinarie dies 280. a conceptione, quod conficit 40. hebdomades ſeu 9. Menſes ſolares & 10. dies, 30. diebus menſem ſolarem conſtituentibus. Vnde merito colligitur, ita conſtitutam naturam eſſe, ut non poſſit pauciori tempore, animalculum in hominem perfectum mutari. Hinc, licet fieri ſæpe poſſit, ut ex qualicunque cauſa partus aliquot dies vel anticipetur, vel retardetur, recte tamen inferetur partus, i. e. infantes ſemeſtres, ſeptimeſtres, & octimeſtres aut perfectos non eſſe poſſe, ſi autem ſint tales, coitum eſſe anticipatum, & contra, partus decimeſtres (intelligo menſes ſolares,) & undecimeſtres extraordinaria magnitudine eſſe debere, quia nutritio ſem-

per

per continuatur, (§. 10. 12. 13. c. 5.) ſin vero minus, coitum fuiſſe illegitimum, ſi ſcilicet utroque in caſu in calculo non erraverit fœmina. Cognoſcitur autem partus imperfectio, partim ex parvitate corporis debito minore, partim ex defectu partium nonnullarum, e. g. unguinum, labiorum vel ipſius cutis, item ex ſutura coronali nimium dehiſcente, auriculis ab oſſe temporum divulſis, & ſi infans fere ſemper dormit, & brevi poſt nativitatem plerumque moritur. Plane ſingulare quid fuit, fœtus 46. annos in corpore matris ſine putredine hærens, ita, ut tempore longæ graviditatis hujus mater 2. infantes peperit, de quo vid. Crameri diſſ. de fœtu 46. annorum Tubing. 1720. & Held de Hagelsheim doctiſſimus tractatus de tempore partus. Baruthi 1722.

§. 24.

Cæterum poſt partum, pars funiculi umbilicalis in corpore infantis latens, degenerat in ligamenta, vena quidem in ligamentum hepatis, arteriæ in ligamenta lateralia veſicæ. Nam uſus illarum jam ceſſavit, dum commeatus ſanguinis materni abſciſſus. vid. Bartholini Anat. c. 1. §. 27. Sanguis autem infantis, clauſo commeatu materno (§. 17.) per vias ordinarias transgreditur.

CAPVT

CAPVT 8.

DE
PARTIBVS EXTRA-ORDINARIIS.

§. 1.

PEr partum hoc loco intelligo, ut ante (§. 1. c. 7.) actum pariendi, ſed id, per quod pariendi actum ex utero excluditur, & ad partus extraordinarios hoc loco referimus, abortus, partus præcoces, gemellos, vel plures infantes ſimul natos, monſtra & molas, quorum rationes inveſtigabimus.

§. 2.

Fœtus ante ſeptimum a conceptione menſem ex utero exiens, dicitur *Abortus*, uti eadem vox de ipſa excluſione tali adhibetur. Sed partus ſeptimo, octavo, & ante penitus completum nonum menſem facti, dicuntur *præcoces* ſeu *immaturi*.

§. 3.

Dum fœtus in utero continetur, ipſe autem quo eſt immaturior, eo minus ad excluſionem ſuam poteſt conferre, (§. 4. c. 6.) neceſſe eſt, ut uterus tam ad abortum, quam ad partum præcocem efficiendum ſeſe ſufficienter contrahat, i. e. ut conſtrictio orificii cervicisque contractione fundi, & corporis uterini ſuperetur.

Et adeſſe talem conſtrictionem uteri, ſatis teſtantur dolores ſpaſtici in abortu, vel partu præcoci, e regione lumbari & lumborum baſi, verſus anum pubemque, nec non a regione umbilici & hypogaſtrica verſus eandem pubis regionem contendentes.

§. 4.

Quidquid uterum ad talem conſtrictionem irritare poteſt, id mediate poteſt abortum vel partum præcocem efficere. Sed uterum ad talem conſtrictionem irritare poſſunt

1.) Vteri vel alius loci largior & gravior hæmorrhagia, fœtui debitum nutrimentum ſubtrahens, ipſumque debilitans & enecans. Fœtus enim mortuus, nullum amplius, debilis, paucum nutrimentum in corporis ſui conſervationem aſſumit a ſanguine matris. Cum autem nihilominus perennis fiat affluxus ſanguinis in laxata matricis vaſa, ab initio paulatim, deinde graviter experiuntur, & uteri vaſa irritantur, ac tubuli & uterus conſtringuntur.

2.) Eodem modo omnes alii graviores morbi matris, infanti interitum minantes, e. g. febres malignæ & acutæ, variolæ, fluor albus, ſcorbutus ob acrimoniam humorum, dyſenteria, motus convulſivi & epileptici gravioris, fluxus alvi diuturni, vomitus tales, tuſſis, ſternutationes vehementiores, caſus ab alto, contuſiones & concuſſiones abdominis & lumborum, propter concuſſionem uteri & viſcerum abdominis.

3). Eſcu-

3.) Eſculenta & potulenta *a*) quæ ſanguinem nimis commovent, & vaſa uteri vaginamque ſtimulant, menſes vel hæmorrhagias uteri promovent, e. g. cibi aromatici, præcipue croco conditi, vina generoſa. *b*) quæ facile inferunt fluxus alvinos & tormina, e. g. fructus æſtivi, copioſius comeſti, cereviſia junior nec ſatis fermentata. *c*) alvum adſtrictum relinquentia, e. g. caſtaneæ ſine butyro comeſtæ, *d*) urinam fortiter pellentia.

4.) Omnis motus & quies extraordinarius. Per motus enim extraordinarios & violentos, non ſolum ſanguis valde commovetur, ut ille deinde placentam uteri cum fœtu expellat ex utero, ſed etiam, propter cohæſionem ligamentorum, uterus valde concutitur. Per quietem autem nimiam maſſa ſanguinis augetur, & per ejus motum vehementiorem dein fœtus expellitur, utero irritato. De his & aliis vid. Hilſcheri Diſſ. Theoria partus præcocis & abortus.

§. 5.

Hæc dicta, uti ſunt cauſæ abortuum, ſic etiam conſtituunt eorum ſigna prognoſtica, licet remotiora & incerta. Certiora autem & proximiora ſunt. 1.) Uteri hæmorrhagia largior & impetuoſior. Nam dum placenta ab utero ſolvitur, ſanguis debet exſtillare. 2.) Dolores in abdomine verſus ſinum pudoris, utpote ex conſtrictione uteri orti. 3.) Conatus involuntarius ex utero egrediendi.

§. 6.

Dum per ingreſſum animalculi ſpermatici in ovulum fit conceptio (§. 14. c. 4.) evidens eſt, quod, ſi duo vel plura animalcula, in duo vel plura ovula vel ejusdem ovarii, vel amborum intrent, & hinc duo illa vel plura ovula inprægnata, vel per eandem vel diverſas tubas in uterum deducantur, geminos tunc vel plures infantes concipi & ſimul naſci poſſe & debere. Et dum in una ſeminis gutta multa millia repèriuntur, ex unico etiam coitu gemelli vel plures infantes naſci & concipi poſſunt, licet, quia ſuperfœtationes poſſibiles ſunt, (§. ult. c. 4.) fieri poteſt, ut reiteratis coitibus, plures infantes concipiantur.

§. 7.

Cur autem gemini unicam habere ſoleant placentam uteri (§. 19. c. 7.) ratio ſine dubio hæc eſt, quia dum placenta cujuslibet ovuli & fœtus (§. 8. c. 5.) adnaſcatur parti uteri ſuperiori & anteriori, (§. 4. c. 5.) ſubtiles fibrillæ, per quas quodlibet ovulum utero cohærere incipit, & ex quibus oritur placenta duorum illorum vel plurium ovulorum in utero exiſtentium, inter ſe commiſceantur, & hinc unica tantum placentæ maſſa oritur.

§. 8.

Fœtus ab ordinaria ſpeciei ſuæ figura, admodum deflectens, dicitur *Monſtrum.* Dum autem diverſimode poſſunt deflectere, vel

1.) Per abundantiam partium,

2.) Per defectum partium,

3.) Per

3.) Per illegitimam proportionem & ſitum partium,

4.) Per ſubſtitutionem partium inconvenientium in locum debitorum, tam diverſa etiam poſſunt eſſe monſtra.

§. 9.

Quando duo animalcula ſpermatica in unum ovulum transeunt maternum, quodlibet deberet in fœtum transformari, (§. 1. ſeq. c. 5.) ſed hoc fieri poteſt, vel

1.) Dum nimis prope juxta ſe invicem poſita ſunt, quædam partes coeant in augmentatione, & ex coalitis una tantum prodeat, quædam autem utriusque animalculi diverſæ maneant, eædemque illæ fiant in fœtu duplicatæ. Huc pertinent monſtra, unam corpus, duo capita, quatuor brachia & quatuor pedes gerentia, item illud, cujus (§. 9. c. 4.) mentionem fecimus, vel

2.) Ut dum quodlibet habet ſpatium ſufficiens, attamen ex parte ſe tangant, duo perfecti, ſed plus minus concreti homines oriuntur. Huc pertinent monſtra ſex corporea, quale exemplum duarum puellarum, pectore & coſtis concretarum & unum tantum funiculum umbilicalem gerentium Gedani 1724. fuit natum, vid. Kuling. in deſcriptione fœtus monſtroſi.

§. 10.

Nec inpoſſibile eſt, ut ipſum animalculum, ex quo homo transformatur, abundantia partium nonnullarum laboret. Hinc ratio red-

di poteſt eorum monſtrorum, quæ unum vel alterum membrum minus, e. g. digitos, habent ſuperabundantes.

§. 11.

Homo utriusque ſexus genitalia gerens, & hinc ad generandum æque ac pariendum aptus, dicitur *Hermaphroditus* vel *Androgynus*. Cum igitur Hermaphroditus per ſuperabundantiam membrorum a figura ordinaria deflectat, ad primam monſtrorum ſpeciem referendus eſt.

§. 12.

Probe autem notandum, pro Hermaphroditis ſæpe habitos fuiſſe, qui tales revera non fuerunt, ſed ſpeciem tantum alterius ſexus fuerunt mentiti. Sic

1.) Fœminæ, clitoridem in magitudinem penis gerentes, & hinc coitum ſpurium cum altera fœmina inſtituentes, vel ad inſtituendum ſaltim aptæ (quales audiunt confricatrices, ſubigatrices, tribades) ſæpe habitæ fuerunt pro Hermaphroditis, cum tamen non fuerint, utpote ad ſobolem vere generandum ineptæ.

2.) Maribus rarius membrum virile totum a nativitate usque ad certum tempus, e. g. pubertatem vel diutius in corpore manet clauſum, & retentum, ita, ut non niſi rima quædam muliebri ſimilis, (§. 2. c. 2.) in loco genitalium cernatur, donec dein ex qualicunque cauſa in conſpectum prorumpant genitalia maſculina, quo facto ex fœmina fieri videtur mas, cum tamen ſemper mas fuerit. conf. Exempl. in Venette p. 555.

§. 13.

§. 13.

Omnibus ejusmodi exemplis hermaphroditorum adparentium remotis, valde dubium videtur eſſe, an ſuper futura ſint exempla, hermaphroditorum verorum, (§. 11.) unde Phyſicorum multi, recte etiam, de eorum exiſtentia dubitare cœperunt. Uterum autem verus Hermaphroditus ſit, an tantum adparens, non rectius, niſi per utrumque generationis actus exercitium, generationem & conceptionem dijudicari poſſe videtur. Quodſi quis autem verus hermaphroditus exiſterit, abundantia hæc membrorum, optime ſolvi poſſe videtur, ſi dicas: animalculum ipſum jam tali abundantia laboraſſe. Contradictorium enim non eſt, intra illa animalcula ſpermatica, ut inter alias animantium ſpecies, monſtra etiam reperiri.

§. 14.

Nec eſt impoſſibile, quia propter vehementiorem imaginationem matris, & embryonis cum matre connexionem, pars quædam infanti ſuperabundat, (§. 16. c. 5.) quo pertinet exemplum porculorum in Hungaria, propter vehementiorem matris ſuis imaginationem cum capitis ornatu muliebri fere ſimili natorum.

§. 15.

Ex defectu partium partus erit monſtroſus, qualis fuit ille, cujus M. Werger in Diſſ. de Monſtroſis naturæ operibus Theſ. 3. §. 3. facit mentionem, utpote, qui ab utero caruit manibus, & hinc pedibus ſcripſit, pinxit, cala-

mos ſcriptorios adaptavit; Si ipſum animalculum defectu quodam laboret.

§. 16.

Per illegitimam proportionem vel ſitu partium, vel per ſubſtitutionem partium inconvenientium in locum debitum, oritur monſtroſus partus, vel

1.) Si ipſum animalculum tali illegitima proportione vel ſitu partium jam laboret, vel

2.) Et quidem maxime, ſi mater per vim imaginationis vehementiorem tale quid infanti inprimat. Huc pertinet monſtrum, quod ipſe vidi Halæ: Vir ex parte ſuperiore perfectus quidem, ſed loco pedum duas mammas muliebres corpori adnatas gerens, quibus interpoſitum erat membrum virile. Item fœmina loco capitis, collo ſuperpoſitam concham teſtaceam, ad ſimilitudinem mytali gerens, duabus valvis conſtantem, quæ aperiebantur & claudebantur, per quas cibum cochleari miniſtratum capiebat, qui effectus ex imaginatione matris ortus. conf. Hoffmanni Diſſ. de imaginationis natura & viribus. §. 12.

§. 17.

Ex congreſſu animantium diverſi ſpeciei, ſolent etiam certæ monſtrorum ſpecies oriri, utriusque parentis formam ex parte referens: e. g. ex coitu equi cum Aſina oritur Mulus, Pardi cum Leæna, Leopardus, & ex coitu adoleſcentis cum capra, natus fuit infans, caprina crura & faciem humanam habens. vid. Werger Diſſ. cit. Mulum & Pardum utriusque paren-

tis

tis figuram æmulari, mirum non eſt, ſiquidem animalculum ſpermaticum, ex quo talis fœtus oritur, fœtum patri ſimilem producere quidem certum eſt. (§.20. c. 6.) Sed nutritur ex ſanguine alterius ſpeciei, qui ſine dubio a ſanguine prioris ſpeciei eſt diverſus certa qualitate, propter principium indiſcernibilium. Quod autem ad infantem pedibus caprinis & facie humana attinet, ſine dubio ita eſt factus, ut animalculum, ex quo fœtus tanquam humanum, ad hominem quidem producendum aptum fuerit, (§.20. c. 6.) Sed quo minus inde integer oriretur, imaginatio matris capræ crura ſua ſemper adſpicientis, obſtiterit.

§. 18.

Fieri interdum etiam ſimul poteſt, ut plures monſtroſitatis cauſæ ſimul concurrant in eodem ſubjecto, unde eo erit deformius, quo plures adfuerunt. Huc refero monſtrum anno 1654. in monte quodam Cataloniæ captum, ſeptem habens capita, quorum ſex habent duos oculos, ſeptimum, cum quo capit cibum, habet unum in medio fronte conſpiciendum, ut & ſeptem manus, ſonum minus perceptibilem edens, ſuperiori corporis parte homini ſimile, inferiori, capræ. vid. Werger. Diſſert. cit. quorum monſtri hujus phænomenorum ex poſitis principiis rationem reddere non eſt difficile.

§. 19.

Cæterum circa monſtra quæritur:

1.) An ſint homines?

2.) An monſtrum bicorporeum pro uno, an pro duplo homine habendum ſit?

Quod ad prius attinet, quia anima rationalis & corpus organico-mechanicum hominem conſtituit, monſtrum pro homine reputandum eſt, ſi utrumque adſit. Quia porro anima repræſentationes ſuas producit pro motu fluidi nervei in cerebro, & probabiliter in cerebro reſidet, ſi caput & hinc etiam cerebrum humanum adſit, anima etiam rationalis adeſſe creditur, & hinc monſtrum recte habetur pro homine, quod magis tunc valet, quando reliqua potiora corporis membra habeant modo figuram humanam.

§. 20.

Ad alteram quæſtionem: An monſtrum ſive plene, ſive ex parte bicorporeum, (§. 9.) pro uno an pro duplici homine putandum ſit? facile etiam reſpondetur. Quia corpus organicum & anima rationalis conſtituit hominem, ſi in monſtro bi vel pluri corporeo una tantum eſt anima, pro uno homine, ſi duæ vel plures, pro duobus vel pluribus hominibus reputandum eſt. Sed quia anima repræſentationes ſuas producit mutationibus fluidi nervei in cerebro factis convenientes, & anima probabiliter ſedem ſuam habet in cerebro, cerebrum autem in capite eſt, tot animæ rationales recte adeſſe creduntur, quot adſunt capita. Ergo

Ergo tale monſtrum pro tot hominibus habendum eſt, quot habet capita, experientia conſentit. Nam Kuling. in Tr. cit. de fœt. monſtroſ. p. 36. mentionem facit monſtri ex parte ſuperiore bicorporei, ſed ex parte inferiore unicorporei, cujus partes duæ ſuperiores interdum inter ſe litigaverint, aliquando etiam invicem conſultaverint, qui duplicis animæ ſunt effectus. conf. Thümmig. l. c. N. V.

§. 21.

Vſus dictorum in doctrina de Baptiſmo eſt maximus, nempe monſtrum caput humanum gerens, baptizandum eſt, & monſtrum pluribus capitibus præditum, toties eſt baptizandum, quot habet capita, quia omnis homo baptizandus eſt. (§. 19. 20.)

§. 22.

Mola eſt concrementum vel membranoſæ vel carnoſæ fibroſum, modo parvum, modo majus in utero mulierum aliquando generatum, & cum eo cohærens ad inſtar placentæ urinæ per vaſa intercedentia nutrimentum capiens, ſed nulla forma fœtus gaudens, & tandem vel utero excluſum per internum uteri motum conſtrictorium, vel ad mortem fœminæ in eo geſtatum. Hinc cum non habeat figuram, fœtus autem proprie dicitur, mola, nec pari, ſed excerni dicitur, & inproprie tantum ad partus extraordinarios refertur. Pariter quia non habet figuram fœtus, & hinc nec organiſ-

mum

mum membrorum humanorum, & hinc porro nec motus vitales proprie, nec vivere dici poteſt, ſola enim nutritio & augmentatio vitam non conſtituit.

§. 23.

Dum in ipſo corde interdum naſcitur concrementum fibroſo-carnoſum, *Polypus* dictum, ex ſanguine prius coagulato, & demum in fibras carneas mutato, ſiquidem in certis polypis coagulum ſanguinis adhærere ſolet, molam fibroſo-carnoſam ita in utero generari, veritati cônſentaneum eſt, ut

1) In fluxum menſtrui inordinato reliquiæ ſanguinis inter cavitates ejus delineantur, & coagulent.

2) Hoc ipſo cavitas uteri diſtentatur, & vaſcula ſanguifera ſubtiliſſima poſt menſtruum abſolutum rurſus claudenda (§. 22. c. 2.) non debite claudantur.

3) Hinc cum vaſculis illis apertis, maſſa illa ſanguinis coagulata cohærere incipiat.

4) Quo facto per vaſcula illa ſanguis ex utero adferatur maſſæ illi, ut ita mola quotidie inde nutrimentum & augmentum capiat, licet fieri etiam poſſit, ut ſanguis ſuperfluus per menſtruum ejiciatur, uti initio graviditatis eſſe ſolet (§. 15. c. 4.)

§. 24.

Mola membranoſo-fibroſa ita poteſt generari, ut

1) Ovu-

1) Ovulum maturum, ſed per animalculum ſpermaticum non fœcundatum ex qualicunque cauſa e. g. titillatione vehementiore, ex confricłu genitalium, vel imaginatione venerea vehementiore, corpus etiam afficiente vel motu accedente, imprimis ipſius ovuli maturi gravitate ex ovario per tubam in uterum deſcendat.

2) Illud niſi per proximum menſtruum una cum ſanguine ejiciatur, petiolo ſolo, quo ante adhæſerat ovario, vel aliter utero adhærere incipiat.

3) Per vaſcula ſanguifera, menſtruo fluxu forte aperta, nutrimentum ex ſanguine accipiat, quo vero deficiente, fœtui nutriendo in ſolam ſubſtantiæ membranoſæ explicationem extenſionem cedit, ita, ut venæ arteriæque ſubtiliſſimæ & fibræ carneæ membranam ſeu tunicam ovuli perceptantes, creſcant & augeantur.

4) Quod dum ita fit, ipſe etiam liquor contentus, & ad nutriendum fœtum deſtinatus (§. 10. 11. 12. c. 5.) ſenſim poteſt abſumi in nutrimentum ſubſtantiæ hujus carnoſo - membranoſæ cedens.

5) Quibus omnibus ita actis, non poteſt non talis mola membranoſo - carnoſa oriri inde vid. Coſchwiz Diſſ. de virgine hydropica uteri mola laborante. Quodſi vero veſica illa ex tunica ovuli nata excernatur, antequam liquor amnii ſit abſumtus, mola dicitur veſicaria.

§. 25.

§. 25.

Quia ad Geneſin molæ non requiritur concubitus, (licet ad cauſas illius poſſit accedere, ſi titillatio dicta (§. 24.) ex eo oriatur,) quin potius utriusque generis cauſæ, ſine eo habeant locum (§. 23. 24.) in virgine æque ac in vidua in tacta generari poteſt mola, unde propter molæ excretionem, factæ ſtuprationis non poſſunt accuſari.

Restauro del Libro
Badia
di
Cava

005656530